



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

DE
BALNEORVM
NATVRALIVM
VIRIBVS

LIBRI QVATVOR,

Quorum argumentum proximè sequentes
pagellæ indicabunt,

At la libreria del Collegio Imperial de Salom de S. S. de Madrid.

BARPTOLOMAEO A CLIVOLO


*Medico Taurinensi & professore
publico authore.*



E — 11
E — 7
W — 20

LVGDVNI,
Apud Mathiam Bonhomme.

1 5 5 2.



ELENCHVS EO-
RVM QVAE IIS
QVATVOR LIBRIS

CONTINEN-
TVR.

Liber primus balneorum Aquensium historiam comple-
ctitur, in septem capita diuisus.

<i>Fontis in ciuitate scaturientis descriptio</i>	cap. 1.	pag. 1
<i>Particularis balnei descriptio</i>	cap. II.	IIII
<i>Luti & Gutturij descriptio, sitorum extra ciuita- tem</i>	cap. III.	7
<i>De qualitate aquae fontis in Urbe scaturientis</i>	cap. 4.	10
<i>De qualitate aquae fontis ultra Burmidam scaturi- entis</i>	cap. 5.	15
<i>De Luti qualitate</i>	cap. 6.	16
<i>Quinam affectus profligari possint ex Aquensium balneorum usu</i>	cap. 7.	17

Liber secundus, dictorum balneorum Aquensium rectum
vsum continet: & ex consequenti omnium similis ac fi-
nitimae sodinae, & facultatis in decem capita diuiditur.

a ij

ELENCHVS

<i>Facultatum vniuscuiusque partis balnei explicatio,</i> <i>primum de Laconico.</i>	cap. 1.	21
<i>De Balnei seu Lauacri facultatibus</i>	cap. 2.	24
<i>De Embrocha seu irrigationis facul.</i>	cap. 3.	29
<i>De Luti & Potionis facultatibus</i>	cap. 4.	30
<i>Eorū enumeratio, quæ ante balnei vsum in quouis mor-</i> <i>borū genere profligando, sunt consideranda.</i>	cap. 5.	31
<i>Quid sit humorum preparatio, & quæ in ea requi-</i> <i>rantur.</i>	cap. 6.	40
<i>Peculiaris & propria enarratio vsum Lauacri, Laco-</i> <i>nici, & Luti.</i>	cap. 7.	46
<i>De Embrocha & Potionis vsum brevis narratio.</i>	ca. 8.	60
<i>De victus ratione balneantium.</i>	cap. 9.	62
<i>Brevis commemoratio varietatis curationis, quæ à va-</i> <i>rietate temperamentorum, partium affectarum, &</i> <i>affectuum simplicium desumitur.</i>	cap. 10.	65

Liber tertius & quartus totius orbis balneorū vires com-
plectantur. Tertius hic liber bipartitò fecatur. In pri-
ori parte totius orbis balneorum fodinæ explicantur.
In posteriori multorum balneorum historia narratur,
in xxxv. capita diuiditur.

<i>Suscepti laboris certitudinem, & ordinis rationem præ-</i> <i>monstrat.</i>	cap. 1	70
<i>De Sulphure</i>	cap. 2	72
<i>De Alumine</i>	cap. 3	74
<i>De Sale</i>	cap. 4	76

ELENCHVS.

<i>De Nitro</i>	cap.5.	79
<i>De Calce</i>	cap.6.	80
<i>De Gipfo</i>	cap.7.	81
<i>De Bitumine</i>	cap.8.	81
<i>De are</i>	cap.9.	83
<i>De Ferro</i>	cap.10.	84
<i>De Auro</i>	cap.11.	86
<i>De Plumbo</i>	cap.12.	87

De Balneis, & primò

<i>De balneis Aponi</i>	cap.13.	88
<i>De Thermis S. Petri</i>	cap.14.	94
<i>De balneis domus nouæ</i>	cap.15.	94
<i>De balneo montis Grotti</i>	cap.16.	95
<i>De Balneo S. Barptolomæi</i>	cap.17.	96
<i>De balneo S. Helena</i>	cap.18.	98
<i>De Thermis Orthoni montis</i>	cap.19.	99
<i>De Thermis Porretensibus</i>	cap.20.	100
<i>De Thermis Romandiolæ</i>	cap.21.	101
<i>De Thermis Urbis Luca</i>	cap.22.	102
<i>De Thermis Pifarum</i>	cap.23.	103
<i>De Thermis Volaterrarum</i>	cap.24.	105
<i>De Thermis Senarum fama illustrioribus</i>	cap.25.	106
<i>De Thermis Viterbij</i>	cap.26.	108
<i>De Thermis Afculi</i>	cap.27.	111
<i>De Thermis Perusij</i>	cap.28.	112

ELENCHVS.

<i>De Thermis Montis Catini</i>	cap. 29.	121
<i>De Thermis Terræ laboris in agro Neapolitano</i>	cap. 30.	113
<i>De balneis Siciliæ</i>	cap. 31.	116
<i>De Thermis Aquarij</i>	cap. 32.	118
<i>De Thermis Carpensibus</i>	cap. 33.	118
<i>De balneis Vinadi</i>	cap. 34.	120
<i>De Germaniæ Thermis</i>	cap. 35.	122
<i>De variarum aquarum varijs naturis, & miris quarundam proprietatibus</i>	cap. 36.	125

Liber quartus balnearum totius orbis vires explicat:
in tria diuiditur capita.

Quarti libri necessitatem præfationis more ostendit

cap. 1. 133

Qua ratione Thermarum fodina sit inuestiganda ca-

pit. 2. 134

Qui morbi naturalium balnearum vsu curentur, &

quorum, ac eisdem utenduratio, & tempus c. 3. 146

101 . . . 146

101 . . . FINIT. ELENCHVS. CAPITVM.

101 . . . 146

101 . . . 146

101 . . . 146

101 . . . 146

101 . . . 146

101 . . . 146

101 . . . 146

101 . . . 146



ILLVSTRISSIMO AC AM
PLISSIMO, SENATVS TAVRI-
NENSIS PRAESIDI, RENATO
BIRAGO, BARPTOLOMAEVS
A CLIVOLO MEDICVS FOE-
FOELICITATEM.




*V*M haec sit omnibus mortali-
libus innata cupiditas, Praeses
ornatissime, indefesso quodam
studio conari alia alijs quoti-
die addere, atque animū suum
nouarū rerum inuentione exor-
nare: ea potissimum eorū ani-
mo insigi, & perpetuo haerere deberet, quorū intellectus
& ob exiguam rerum experientiam: quae aetati immatu-
ra non conceditur, & ob iudicij imbecillitatem quasi nu-
dus adhuc & nondum suis numeris absolutus est. In quo-
rum albo cum me conscribendum semper censuerim, cum
Praeses Senatus Allobrogum excellentissimus Raimon-
dus Pelisson, ad Aquensia balnea iter faceret, eximie
& rara eruditionis viri Do. Io. Ramsay Scoti Medici
praestantissimi, quem secum eo deduxit comitatu me
adiunxi: ut horū balneorum cognitionem Medico sum-

mè necessariam mihi pararem. Quo in loco cum utriusque auspicijs aliquot dierum spatio mihi agendum vidissem, ne frustra illud tempus contereretur, iterum atque iterum civitatis & balneorum anfractus ac Meandros omnes nunc isto, nunc illo ductore & doctore perlustraui. Atque quò magis magisque hæc aut illa spectabam, magis Diuina Benignitatis admiratione capiebar. Ars Diuinam Benignitatem imitabatur in his aut illis locis mortalium vsui accommodandis. Cùmque mecum cogitarem huiusce nostri animi imbecillitatem, tantarum, & quasi numero infinitarum rerum cognitione, ad sui perfectionem egere: vix tamen paucas posse cognoscere, cognitatas quàm exiguo tempore memoria thesaurò reconditas posse seruare. Meis studijs meoque eo in itinere suscepto labori pulchrè consultum iri putauì, si eorum omnium, que ibi videram, ac fidorum virorum relatione compertum habueram, mihi velut commentariolum aduersus obliuionem reponerem. Cuius cum aliquot amicos participes fecissem, nò ingratus illis fuit meus iste labor. Horum ego iudicio innixus existimaui ingrati non fore studiosis laborem hunc: ob id ne quid ad propositi instituti perfectionem Medicinæ studiosi desiderare possent, huic historiæ adiunxi, non sine maximo labore, nò solum horum, sed & totius orbis balneorum naturalium vim & vsus rationem, ac pleraque alia ad hoc negotium attinentia. Atque ut eorundem & meorum amicorum precibus, qui ut id à me extorquerent contendere non cessarunt

cessarunt, ac aliorum commoditati & utilitati que cōsule-
rem, hæc non solum permittere excudi, sed & inuulgari
necessum fuit. Cum paria sint nil scribere, & vel que scripse-
ris non adere. Scio tamen non defuturos, qui aditionem
hanc non solum non laudabunt, sed etiam valde repre-
hendent. Alij quia neminem non damnant, qui post
tot ac tantos viros, aliquid audeat in medium affer-
re, superfluum iudicātes, quæ sunt scripta mutato rerum
& vultu rescribere. Temerarium existimare supra illorum
eruditionē aliquid posse præstare. Alij stylum damna-
būt tanquā minus Latinū. Alij inanis gloriæ aucupā-
dæ gratia factum putabunt. Ego, ut omnibus unico
& verborum contextu satisfaciā, nec superflue, nec teme-
rariè scripsisse potui: quandoquidem. propositæ rei cogni-
tionem summè necessariam Medico. nemo inficiabitur,
à nemine tamen methodo & ratione aliqua, literarum
monimētis prodita fuit. Phrasim qui damnat, sciat me
non ea gratia laborasse, ut eius linguam erudirem, sed
quò eius mētē locupletarem. Nec Latinam linguam,
sed Medicinam discere cupientibus hæc scripta sunt. Po-
stremò quid nominis expectare possim, ex re, ob quam
me omnium etiam præpostero iudicio, reprehēsiōni, non-
nunquam & derisui subijcio. Sit utcunque sit, hoc vno
summopere lator, hoc vno meo labori abunde satisfa-
ctum est: quòd, ut cum Plinio loquar, prima hæc mea
fœtura C. T. authorem, fautorem, ac defensorem nan-
ciscatur: cuius maximarum & egregiarum virtutum

tam amplissima & excellentissima sunt exēpla, non modò
in equitate distribuēda, verum etiā in Republica & mi-
litiā regendis: ut omnes nationes, ad quas C. T. factorū
celebris fama peruenit, peruenit autē ad plurimas, vel
solum Biragorū nomen summa cum veneratione suspi-
ciant. Hanc familiā ita Gallia honorat & veneratur,
ut nil illis sine Biragis in Italia tutū, & firmum iudicā-
rit. Hanc quāti fecerit Franciscus, quāti faciat Henri-
cus inuictissimi Francorū Reges norunt omnes, qui velu-
ti ab omnino creatore duo celestis substantiæ lumina solē
& lunam cōstituta vidēt, ad omniū rerū propagatio-
nem, nutritionē, & auctiōē in terris retinendam ac au-
gendā: sic à prudentissimis Regibus nostris duo hæc cele-
stis ingenij lumina Renatū & Ludouicū Biragum con-
stitutos cernunt, ad eas propazines & radices, quas in
Italia fixere, retinēdas ac augēdas. At ego C. T. laudum
ingēs pelagus, præter institutu, remis ac velis destitutus
ingredi nolo: iccirco ipso in littore anchorā figo, nec sum-
mis ut aiūt, labijs notissima attingēs. Siquidē narran-
diā nō suscipio quod etiam plebeis notissimū est. Quāta
scilicet autoritate, quāta gravitate, quāta eloquetia, in
summis & amplissimis Regū tribunalibus sis versatus.
Quot viri graues ad senatū sæpe conuenerint audituri
obseruaturiq; summū eloquentiæ parentē Biragum, ra-
pidissimum faciundia torrentem Biragū, uberrimū elo-
quij fontem Biragū, quo dicente, quatum, Deus bone,
sil-

silentium? quanta audientia? quis omnium fauor, quæ
expectatio? unde tu vnus ex omnibus es visus Gallis
Proceribus, Regi^q, optimo maximo idoneus, qui tam il-
lustri Senatui præsideres: quippe in quo summa sunt o-
mnia & singularia, eximia probitas, fides, innocētia, in-
tegritas, constantia, humanitas, ingenium acerrimum,
omnium disciplinarum præcipuēque ciuiliū cumulus,
summa prudentia, plurimus rerū vsus, incredibilis qui-
dam erga Rēpublicā amor, admirabilis rebus in omni-
bus sapiētia, maxima denique virtutū omnium orna-
menta. Quibus omnibus maximè opus est ei, qui maxi-
mum hoc imperium amplissimāque dignitatem sum-
ma cum laude ac Reipub. utilitate gesturus est, quam
utilitatē maximā, ex hoc magistratu summo iam cer-
nit Gallia, quod totius plagæ Pedemōtanae hominū ani-
mos nō modò conciliatos, sed & deuinctissimos habeat
hoc vno nomine, quod unicuique liberum sit & domi,
& foris tutò degere: quod unicuique re sua liceat paca-
tè frui, cum hæc olim non licerent, tam negligenter & le-
niter in sicarios, in prædones, in oppressores: deniq; in ma-
los animaduertebatur. Ob quæ amplissima beneficia nō
cessat hæc patria postquam aliud non potest, altissimum
deprecari C. T. concedat Εὐλω ἐκτελεῖ δὲ τῆν ἀγαθὴν μὲν γυ-
γῆ & εὐδῶ. Vale Galliarum dulce præsidium, & Italiæ in-
comparabile ornamentum, Calendis Aprilis. 1550.



LIBER PRIMVS
 IN QVO CONTINETVR
 BALNEORVM AQVEN-
 SIVM HISTORIA: BAR-
 PTOLOMAEO A CLIVO-
 LO MEDICO TAV-
 RINENSI AV-
 THORE.



N MARCHIO-
 natu Montisferacis
 vel Mōtis ferrati vul-
 gò sub potestate Du-
 cis Mantuæ, in pla-
 nitie quadam vndi-
 que monticulis cir-
 cundata vini & tri-
 tici satis feracibus
 (terra etenim pin-
 guis, tenax & succo-
 la, est subrufi colo-
 ris, operi figulino aptissima) ciuitas constituta est, quæ

A

ab aquarum excellentia in ea scaturientium Aquæ appellationem sibi vendicauit. Hinc Aquensis Episcopatus nomen. In medio huius ciuitatis, quæ non omnino plana est, sed quoquo pacto monticulosa in parte quasi inferiori fons quidam scaturit amplissimo alueolo copiosissimam aquam fundens, limpidissimam ad eò, vt nummus in fundo cerni possit, ad eò calidam, vt nemo eius contactum ferre queat. Quin multorum puerorum periculo, experientia compertum est neminem euasisse, qui in eam decidens aluo tenus fuerit immersus. Tibiæ etenim & brachia ab ea aqua exusta curationem admittunt, at vel ipsa membra naturalia repentinam adferunt mortem. Hic fons cameratus est, lapidea testudine calce non incrustata, aut crusta iam corrosa à vaporum acrimonia, qui perpetuò tolluntur ab aquæ haud secus ac feruentis caliditate. Qui materiam quandam hisce lapidibus affixere lucidam parte extima, subnigricantem, duram. Infima qua lapidem tangit cinericei coloris, mollè, arenosam cum substantia, tum sapore: quam inferiorem substantiam talem existimo, eò quòd non vapor concretus sit: sed lapidis portio corrosa à vaporum acrimonia & calore: vel hoc vno argumèto persuasus, quòd pars eorum lapidum extima solo manuum contactu dissiliat. Sed huic substantiæ explicandæ suum seruabimus locum: hîc enim nudam balnearum historiã narramus. Post eã illorum facultatem tam ex ijs quæ sensibus nostris sese offerunt, quàm ab effectibus demonstrare contendemus. A dextra huius fontis parte fons alius oritur quasi illi contiguus, nec enim duobus palmis ab alio di

stat

stat, à quo aqua frigida scaturit, non minùs iam dicta limpidiſſima: de quo nil ſum dicturus, quia nec alteri miſcetur, nec aliquid ſupra aliarum regionum aquas habet. Calidus hic fons hominis altitudinem æquans, ferè quadratæ latitudinis quauis parte duarum vlnarum longitudinem non ſuperans ſiphunculum è medio emittit, ex quo ſubmurmurans aqua in quadrum ſpatiolum eructat: ex vna parte quatuor foraminibus, ex altera tribus, ſeptem ſubterraneas fiſtulas replet, quæ fruſtis ligneis pro arbitrio occludi & recludi ſolent. Tres verſus dextram fontem inſpicienti thermis duabus ſufficiunt. Tubulus vnus in domum quorundam de Baneus nulla vtilitate producitur: habitantium enim negligentia dirutus balneorum locus eſt. Alij duo labuntur in domum quorundam qui de Becchu vocantur: vnus ad laconicum, alter ad gutturium & lauacrum. Ex quatuor alijs cuniculis à quadrato ſpatiolo verſus læuam prodeuntibus tres conſtituuntur thermæ. Primus ad eðes Franciſcanorum reſcit. Secundus in hoſpitiũ diui Georgij nomine inſignitum labitur. Tertius in Reipublicæ thermas proſcit, hodie dirutas aliqua ex parte & inutiles. Quartus in propatulã & ſub dio expoſitam piſcinã aquam eructat. Quæ & ipſa arte conſtructa, vndique altis parietibus cingitur, lateribus ſubſtrata, gradibus à duabus partibus ornata: quæ inuicem angulum acutum faciunt. Atque cum duobus balneis contiguis ſancti Georgij & Reipublicæ, in longum ac latum cum prædictis duobus graduam lateribus incidentes quadratum conſtituunt. In quam lacunam per vnicum hia-

tum descensus est, probaticam illam Hierosolymarum piscinam diceres. Nec temere id à me prolatum putes. Ferunt enim ob prohibitos à balneis pauperes leprosos, & alijs morbis contagiosis vexatos vim & facultatem eius aquæ deperditam fuisse: quam denuò totius populi precibus recuperârunt. Et piscinam illam publicam ædificârunt, in quam vnique paratus est aditus. Nec enim vt cætera balnea ostium & balneatores habet, qui ab introëuntibus præmium accipiât. Nunc lauandis pannis eam mulieres frequentant. Sic itaque ab eodem fonte à septem subterraneis cuniculis ex lateribus & lapidibus constitutis quinque fiunt balnea. Ex quibus duo collapsa vsui hodie non sunt, veluti nec tertium Franciscanorû scilicet. Relinquuntur duo maximo & incredibili mortalium commodo vsitata. Quorum alterum si descripsero, omnium quinque descriptionem habebimus, non enim multùm dissimili constitutione & artificio fabrefacta sunt.

Particularis Balnei descriptio.

C A P. II.



F O N T E circiter passus quinquaginta in hospitium Diui Georgij nomine insignitum, secundus tubulus quatuor leuæ partis, quos è quadro spatiole fonti contiguo protédi iam diximus. Primum ex alto decidit in angustum locum cameratum vndique, stipatum adeò

vt

vt vapor non sit exitus. Locus hic Laconicum seu hypocaustum, aut sudatorium, & vulgò stupa dicitur: aërem habet rancidū, sed ad eò crassum, vt vix parietes cerni possint; huius latera & ostium varijs sunt instructa foraminibus, vnum capiti exerendo accommodatum, aliud brachio immittendo, aliud tibiæ, aliud vtrisque cruribus, sic brachijs. Aliud vt per alteram aurium vapor ille recipiatur. Hæc eadem aqua quæ hætenus per cuniculum vndique conclusum labebatur, ne calorem perderet: nunc extra Laconicum per canalem apertum per domum satis alta testudine fabrefactam defluit in vicinum quadratum spatium, lateritio pavimento, & lateritijs parietibus lustratum. Nec tamen tota, sed per occultum meatum canali prædicto suppositum prope fundum eius loci deferitur. Huic loco peculiare nomen est Lauacrum. Ita vt egrediēti è Laconico sese offerat balneum non amplius calidæ aquæ, sed tepidæ. In cuius solium descensus est per gradus totum illud latus occupantibus à summo ad imum vsq;, adeò vt magis vel minus immergi liceat, & interim sedere. Demum aqua quæ per dictum canalem ad hominis altitudinem parieti domus annexum ferebatur, per meatum quendam in quadratam lacunam labitur: quam non temere posthac Gutturium appellabimus: nam vtriusque idem vsus & eadem constitutionis causa, Inibiq; feruidum calorem amittens in canalem parieti annexum ingreditur: qui prædicto canali per rectam lineam incidens, angulum acutum constituit. In huius alueoli atq; adeò totius quadri pariete quinque aut sex frustra lignea in-

tus caua infixæ sunt: in quibus veluti in gutturnijs prominens quiddam angustæ lingulæ inest in fronte, quod epistomiū Marcus Varro & Seneca appellârūt: à quo aqua tepida ad auricularis digiti magnitudinem epistomio recluso defluit. His epistomijs se supponentes infirmi embrochas, seu Latine irrigationes in commissuram coronalem supini super puluinari cubantes recipiunt. Alij in spinam dorsi, aut in brachium, aut genu, breuiter in suppositâ partē, idq; vel sedendo, vel cubâdo. Populus ille locū illū Guttæ nomine insigniuit. Paries eius lateris, per quod aqua destillat ad embrochas totus candidus est Alabastri modo nitens: quam crustam si quis cultello sciungat, nec enim digitis potest, præduram ac nitrum referentem inueniet. Eius loci custodes certò affirmârunt illam purificatam in puluerem recipi, qui ad globulos tanta violentia è bellicis tormentis emittendos aptus est. Reliquum deinde aquæ extra domum vt inutile, per communem omnibus subterraneum meatū in proximum fluuium defertur. Sic tota domus thermarum tribus partibus absolvitur, & via ad has Laconico Lauacro & Gutturio seu embrocha. Nec interim id omittendum est, in Lauacro & Gutturnio aquam calidiorem reddi, si vberius è canali parieti annexo sinatur effluere. Quod si minùs calidam desideres, ocluso superiori foramine id assequeris. In Gutturnio superiori ocluso, & recluso altero qui à Gutturnio in quo aqua colligitur per epistomium prodit. Sunt & annexa huic cubacula, ad quæ delati è balneo ægrotantes in lecto sudant. Reliqua balnea huic adcò sunt similia, vt superfluum iudicem

dicem ea describere. Non prætereundum est, aqua fontis pistores & populum panem pinsere, pullos, capos, & similia immersa deplumari: Sicque capita, pedes, & viscera vitulorum, hedorum, & talium animalium, aptissimè eius aquæ caliditate depilatur, expurgantur & candidissima redduntur. Aquæ frigidæ vicini fontes plurimi, at calidæ vnicus in tota vrbe est.

Luti (†) Gutturnij descriptio. sitorum extra ciuitatem.

C A P. III.



DICTA vrbe circiter quingétos passus à meridionali septentrionalem oram versus præterfluit nauigabilis fluuius nomine Burmida, cui ex aduerso latere opponitur monticulus, terra tenacissima opertus, subrufa, operi figulino aptissima, nec sterilis, nec admodum fertilis, alteram fluuij partem constituens. Et parte qua fluuius eum rodens superficiem destruit, videre est vastam rupem saxosam, saxis per laminas sese diffringentibus, operiendis tectis aptissimas, nec alia ex materia ea in cuitate operiuntur. Alia parte fontis totus lapidosus est ex ijs lapidibus, qui calcem constituunt. Sunt inibi fornaces plures coquendæ calci accommodatæ: quæ dum coquitur, sulphuris odore vicina loca mirum in modum inficit. Ab huius monticuli pede fontes oriuntur aquæ calidæ, omni destituti architectura:

minùs tamen calidæ ea quæ in vrbe est. Quæ ad cò sulphur olet, vt circiter sexaginta passus quaquauerfum sulphuris odor sentiatur. Quorum fontium aqua per apertum cuniculum per imbricem in proximam paludem aliqua ex parte labitur. Hac ratione Guaynerius aquam cupi vocauit. In hac palude, vt aiunt, similis aquæ fontes scaturiunt. Lutosæ sunt paludis latera, & terræ subrufæ lateribus conficiendis aptissimæ. Ab eius paludis fundo homines lutum accipientes in proximam domum deferunt, ad id tantum fabricatam satis quidem superbo ædificio, si cum vrbis opibus conferatur. Ab huius ædificij altera parte alia palus seu fossa est satis ampla: quæ non aliunde aquam recipit, sed in ea scaturit. Ibi videbis feruentis aquæ bullas sursum continuò ferri, id quæ non vno in loco, sed permultis. Homines ibi sunt lutum in domum adferentes, quod è fundo vtriusque paludis fodiunt, nò eo loci vbi aqua scaturit, ibi enim arenosum & minùs leue est, sed è vicinis & finitimis locis ea aqua tam calida est, vt in ea immersam manum nemo nostrum diu ferre quiret. Homines tamen illi luto fodiendo destinati, (mirabile dictu) se toto corpore immersos continēt, donec ligone maximū vas ligneum luto implerint. Deinde natando è medio profundissimæ lacunæ decem cubitorum aut circiter altitudinem superantis ligneum vas luto plenum nonnumquam duo, & ligonem ad littus deferunt: cui deinde à littore in proximam domum deferendo duo insudant. Horum vultum & vniuersi corporis cutem si contempseris, coctorum cancrorum rufescentem illam crustam

conspicere existimabis. Hęc cutis siccitas ab adustione contracta calidę contactum minüs noxium reddit. Quàm egregie hi potent, fabris ferrarijs iudicandum relinquo: hi enim ad siccitatem & calorem ab ore ad pulmones protensa inhibendis, potione egent. Illi verò vini aut frigidę inundantes amplissimos crateras exsiccant, quo hæc à summo capite ad imos pedes diffusa retundat: à natura, vt puto, edocti τὰς πάντας τῶν ἐναντίων ὑπὸ χειρὶ ἰατρῶν. Hic ægrotantium alios videbis tibiam alteram in lignea capsula ex quatuor asferibus constituta detinentes, vndique luto illo obdutam. Alios ambo crura. Alios alterum è brachijs. Alios ambo. Alios totum corpus ad collum vsque. Alios cernes super puluinari stratos lutosam coronam, aut, si mauis, infulam gerentes. Alios solam manum. Alios solum pedem. Alios vtraque. Alia aquę pars per riuulum descendit in infimam quandam domunculam, in qua per canalem alto loco situm lata, per epistomium vt superius in thermarum sancti Georgij descriptione dictum est delapsa: ad embrochas in quauis corporis parte faciendas vsui est, ratione & modo iam eo loci enarratis. Sic etiam in riuulo in domunculam nondum ingresso plurimi aut brachia, aut crura felici successu immergunt.

*De qualitate aquæ fontis in urbe
scaturientis*

C A P. IIII.



M omnium rerum inueniendarum, tum demonstrandarum duo prima sint instrumenta sensus & intelligentia, & ab his aggredienda nobis est huius rei indagatio. Sensibus autem & intelligentiæ inter alia sese offerunt effectus, à quorum cognitione ad causas descendimus, demonstratione vtentes, qua quia aliquid tale est, talem eius effectus causam esse demonstramus: idque in hisce que non admodum sensibus peruia sunt. Ipsam etenim rationem quæreret ipsum posthabendo sensum, imbecillitas est profectò & mentis hebetudo. Idcirco si in hac aqua, aut in terra in qua scaturit Sal, Nitrum, Alumen, Sulphur sese oculis nostris offerrent, non esset opus, nisi mihi recènti quod vidissem præstita fide. Sed tantum sese offerunt spectanda hæc, aqua limpidissima adeò, vt nummus in eius fundo cerni possit: adeò calida, vt nemo eius contactum diu ferre queat: gustui satis grata, paululum astringens, à qua vapores multi tolluntur ingrati, qui quasi bitumem referunt: mihi tinctoriæ seu infectoriæ pannorum artis odorem referre videbantur. Guaynerius in sedimine factæ ab eo destillationis triplo Sal, Nitrum superasse affirmat. Alumen, (vt inquit) superabatur, minima portio Sulphuri relinquebatur.

Vidi

Vidi ego ex decoctione prædictæ aquæ plurimum falis relinqui: gustavi perniciosos à pharमारोपाे ea aqua incoctos & cōfectos admodum falsos: alios ex eadem massa sed aqua puteali dissolutos nullam falsedinem habentes. Ex his neminem arbitror hæsitare, quin falis plurimum in se habeat: Præsertim cum si ea aqua in æneo lebetæ ad consumptionem vsque deferueat, liquidò cernatur in fundo relictum Sal: quod ego ipse expertus sum. Nitrum, præter dicta arguit paries Gutturnij, de cuius suprema crusta depurata nitrum haberi omnes vno ore affirmant. Præterea cum Sal fossile inter nitri species à scriptoribus enumeretur, atque inter se facultate non multum dissideant, quinimò tanta inter eos sit affinitas, vt vicissitudinalem transmutationem facile suscipiant, non in eis seiungendis diu laborandum est. Demum si sumatur per eos ea aqua aluum subducit, ventriculum roborat. Mihi semel tantum & leuiter in ea loto aluum laxauit. Ob id vt longa experientia etiam docuit, à Sale & Nitro vim maximam accepit dissecandi, extenuandi, digerendi, calefaciendi & siccandi: Quæ omnia summa cum felicitate præstat. Siquidem Sulphur vim illam repente in corpus deducit. Alumen ob paruam sui quantitatem eam deductionem astringendo non impedit: Quinimò astrictio illa nulla noxa coniunctam miram utilitatem adfert: omnes enim partes roborat, sicque illatam ab alijs relaxationem tollit. At horum omnium exiguam quantitatem secum vehit paulò maiorem Maio Mense, hac coniectura persuasi, quòd subuivridem cerni ferant. Hyeme cum ambientis frigidi-

rate impedita vaporum exhalatione & densata finiti-
 me ædes haud secus ac nebulis & caligine offuscantur:
 Tunc sulphuris odorem sentiri manifestè aiunt. Eius
 vrbis peritissimus Medicus Dominus Baptista asserit
 eam aquã eo imperante ab Alchimis distillatã, ra-
 tione qua elementa à rebus solent sciungere, liquidò
 sulphuris maiorem quantitatem demonstrãsse, deinde
 salis, postea nitri: inter hæc minima horum quantitas
 alumini relinquebatur. Sed esto. Ideo persuasum
 habeo in horum quantitate cognoscenda nos frustra la-
 boraturos: cum eam perspectam & cuicumque aquæ
 mistam, certò teneam, longo interuallo ab huius facul-
 tate & vi distare. Præter materiam etenim perfectissi-
 mam & eo perfectionis numero dotatam, qualem ali-
 bi non est inuenire, concurrat solis benignus calor, &
 astrorum aspectus eam mirabilem vim illi aquæ tri-
 buens: quam qui ex arte sequitur, nunquam asseque-
 tur. Non minùs quàm Alchimis turba, aurum
 ex varia metallorum mistione nūquam generabit: sed
 semper in fenum omnes illorum conatus euanescent.
 Et tandem cum præceptore Raymundo Lulio, per
 ignorantia & miseria siluas errantes delirabunt. Nec
 habebunt qui tali in caligine constitutos solentur, nisi
 fortè qualem habuit Lulius eius deliramenti Mona-
 chum aliquem, vt similes nanciscantur Labra Lactu-
 cas. Quis quæso est calor ille? quæ est illa ars, aut indu-
 stria, quæ ad imitationem caloris naturalis, & innatæ
 homini facultatis, ex pane, carnibus, lactuca, vino, &
 similibus, chilum, sanguinem, deinde carnem, ossa, &
 eius generis alia poterit generare? Ita in illis terræ
 visceribus

visceribus cōtentum esse quendam calorem innatam quendam facultatem iudico: in hac parte huius rei generandæ, in illa illius: quam nulla ars, nullus labor, nulla industria assequi potest. Sed vlteriùs quàm par sit sermo noster ve: uti equus effrenis verborum consecutione deductus est: Ad rem redeuntēs concludimus non modò difficile, sed ferè impossibile esse arte illius aquæ perfectionem assequi, multi partes exactè seiungere, Ab effectu omnia quæ compositum constituunt ad vnguem cognoscere. Postrema duo vnico exemplo ita ob oculos subiiciam, vt nemo inficias ire possit. Quæ à natura fit mistio multò perfectior est ea quæ à nobis fit, vnde eam misticionis nomine non dignatus est Arist. sed potiùs quendam partium adinuicem appositionem vult esse. In hac tamen exempli gratia Sarcoticum Medicamentum assumamus, nec ceram, nec æruginem, nec oleum posses ostendere: Sed horum trium adinuicem mistorum confusio talis est, vt neutrum separatim cernere liceat: & ea abinuicem seiungere arbitror impossibile. Neque ab effectu partes componentes dignoscere conceditur. Non quòd putem aquam esse mistum quoddam ex sale, nitro, sulphure, & alumine: sed censeo horum qualitatem & vim in aqua esse, & non seruari seiunctam, sed ita alijs immistam deperdi. Et tertiam quendam diuersam à mistis resultare, quam si experientia examines, componentium nullum per eam cognosces: nisi fortè illorum aliquod reliqua longo interuallo superans, sui aliquod indicium manifestum promat. Haud secus ac in dicto Pharmaco, ne à proposito discedamus exemplo,

ærugo per se carnem liquat, rodēdo: oleum eam putrefacit, cera etiam non est vsui, quia nec abstergit, nec exsiccat, at hæc omnia simul mista sarcoticum medicamentū generant: cuius vim si contempleris, nunquam æruginem, oleum, & ceram, id præstare suspicaberis. Sic aquę huius, vt ita loquar, fodinā falleris, si te posse diuinare existimas ex solius facultatis animaduersione. Nec enim sulphuris vim exerit, neq; nitri, neq; salis, neq; aluminis, sed ex ijs mistam, quæ neq; hoc, neq; illud refert. Nec hallucineris distillatione, si enim non salis genera, nitri, & similibus facile solubiliū habeant venæ per quas ea tráfit: sed duræ alicuius materiæ, nil substatiæ secum adferent, sed solam vim: haud secus ac chalybeatæ aquæ nunquam aliquid chalybis subsidebit. Ita alijs in omnibus nō modò metallis, sed & nitri, ac salis generibus censendum, si dura fuerit & non facile solubilis fodina per quam labitur: qualis est argentaria, plumbaria, ferrea, aurea, & similiū metallorum, vim enim solam ea aqua adferet, non substatiā. Quade causa ne mirere etiam si plurimum habeat sulphuris & aluminis, exigua tamen illorum quantitas appareat, hoc enim nitro & sale difficilius liquefcit, illud facile euanescit. Dicamus igitur, & nostrā imperfectionē cognoscamus nobis datum esse vniuersales rerum causas cognoscere: at particularem omnium rerum generationis transmutationē, & mistionis modū omnē non perfectē cōceditur. ¶ Sic igitur sermonē omnem refecimus, vt huius facultatē teneas, te ad caput septimum tanquam ad tutissimam anchorā relego: in quo eius facultatē longa experientia obseruatā disces. Hic quæ ratio dictare potuit in medium attulisse sat fuit.

De qualitate aquæ fontis ultra Burmidã scaturientis.

CAP. V.



ONS ille è Montis pede scaturiens aquam habet coloris ad subviride inclinantis, aut melius in subcæruleum. Sulphur vehementer olet, ita vt vndiquaque ad passus circiter sexaginta odor ille sentiat. Sapor & odor ingratus, gustanti paululum astringens sentietur manifestè. Substantiæ non est tenuis, sed crassioris paulò quàm altera, quæ in urbe scaturit. Non ad eò limpida vt illa, sed quasi subobscura, præsertim parte qua per prædictũ in eius historia riuulum fluit. Nam ab imbrice vnde in fossam atque in riuulum prorumpit limpida cernitur. Multò plus substantiæ seu essentia eorum per quæ permeat secum vehit quàm alia: quod pluribus rationibus compertum est. Quod vehementer oleat sulphur, & tamen plus aluminis quàm sulphuris habeat: ferunt enim in luto grumos aluminis & salis inueniri, plures tamen aluminis quàm salis. Gustavi sal cõcretum in epistomijs illis embrochæ seu Gutturij mirè falsedinis. Effectus præterea id indicat, omnes enim qui ex ea potat intollerabili siti vexatur. Ante quatuor aut quinq; dies vëtris onus nisi ope medica deponere nequeunt. Inde alumè in ea prædominari omnes consentiunt, nemine reclamante. Atq; in hac parte ab altera differt: itidem ab illa diuersa est quòd plus fodinæ, vt aiunt, in se habeat. Tanta etenim est suæ fodinæ quantitas, vt à me suppositum stillanti

ab imbrice aquæ argenteum nummū, antehorē minu-
tam in croceum colorē primū, deinde in cæruleū im-
mutārit. ¶ Multa alia sunt argumēta color, odor, sub-
stātix crassities, pondus, & similia. Conueniūt autem
hi fontes: quia vterque eandem participat fodinam,
sed differunt per magis, & minūs, hac de causa inter se
facultate sunt diuersissimi. Ille enim in urbe scaturies
dissecat, aperit, dissoluit, extenuat, deinde sequitur mo-
derata astrictio ad partium robur. Hic verò nimia
astrictione alijs & sibi viam occludit: vnde factū cen-
seo quòd illic nulla habeantur balnea à ciuitatis fonte
plurima.

De Luti qualitate

C A P. VI.



FVNDQ vtriusque fossæ de quibus
antea cœnum colligitur non absimi-
le luto terræ massæ, ex qua figuli fi-
ctilia vasa conficiunt, que non subru-
fa sunt, sed coloris cuiusdam à cineri-
tio perspicuo ad nigrum tendentis:
eius generis multa Lutetiæ Parisiorum conspiciuntur.
Si in cineribus aqua dissolutis fuscum cōsideres colo-
rem, illius luti colorem habebis. Substantia nil asperi-
tatis in se habet tactui manifestæ: quinimò adeò mol-
le, lene, & vniforme tangenti apparet, vt holosericum
superna parte conduplicatum tractare videaris. Gu-
stanti terreus sapor omnem alium offuscat: asperi-
tatemque aliquam lingua sentiet, cuius contrarium
tactus

tactus iudicabit. Ad eò calidum est, vt statim post euul-
sionem citra noxam corpori nequeat admoueri. In eo
gratia aluminis, & salis pisi magnitudinem æquãtia in-
ueniri ferunt, plura tamen aluminis quàm salis eandem
illi luto cum sua aqua facultatem tribuunt, nisi quòd in
suis operationibus tantò eam virtute superat, quãtò ef-
ficacius operatur solidum corpus tenui, vt ferrum can-
dens, flamma, & emplastrum, per fusione ex earundem
rerum decoctione facta. Ac non modò dẽfitate, verum
& multitudine suæ materiæ vehementiùs suas faculta-
tes in cõbris imprimat quàm aqua, & diutiùs ea impres-
sio durat, nec tã facile euanescit, quàm quæ ab aqua in-
ducitur. Hæc autem feliciùs præstabit, si parti hæres re-
frigescere non sinatur: sed tãdiu ibi relinquatur, quam-
diu calorẽ seruauerit. Non tamen exsiccandi & astrin-
gendi facultatẽ habere experientia demonstrauit, quin
potius omnino contrarias vires liquido præstare cer-
nitur: siquidem mollificandi quæ dura sunt, trahendi,
& resoluendi maximã vim habere cernitur. Quod tam
experientia omnibus manifestum est, & omnibus per-
spicuum, vt id probare longiori sermone superuacane
um iudicem.

Quinam affectus profligari possint ex horum

Balneorum usu

CAP. VII.



INTER morborum differentias à Gale-
no libro de differentijs morborum enume-
ratas: morbi quidam sunt in intemperie
consistentes frigidi, alij humidi, alij frigi-
di & humidi, idque vel citra humorem,

vel cum humore pituitoso. Hosce affectus in quauis parte

consistentes horū Balnearum, Laconici, Embrochæ,
 aut luti, aut potionis vsu felicissimè curari non dubi-
 tamus, facilius autem, vel difficilius pro diurnitate
 morbi, humoris tenacitate partis, ætatis, ac similibus
 diuersitate. Atque non solùm has morborum species
 profligari posse reor, sed has tanquam primâ aliarum
 regulam & scopum propono, ad quem intentus Medi-
 cus facile diuinabit ac prædicere poterit, hunc pituito-
 so affectu ac frigido vexatum, maximum commodum
 ex eorum vsu sensurum: illum verò bilioso affectu la-
 borantem, concalsfactum & exsiccatum, nil commodi
 sed plurimum damni reportaturum. Ita de mistis affe-
 ctibus iudicandum, magis aut minus inuados, quò ma-
 gis ad huius aut illius naturâ accesserint. Interim non
 inficiamur, quin melancholicus succus maximam in
 melius mutationem non sit accepturus: vt potè ob sui
 frigiditatem & crassitiam calfactione & extenuatione
 egens. Sic & sanguinis participes affectus, in ambien-
 tem celerius dissipari poterunt. Et pars affecta aquæ vl-
 tra Burmidè astrictione roborari, ne facile fluxionem
 recipiat. Sed iam sermone vniuersali præmisso cum
 in particularibus elucidemus, morbos qui à pituita ori-
 ginem trahunt percurrentes, à capite exorsi, vexetur
 aliquis intolerabili & antiquo capitis dolore à pitui-
 ta, si ita videtur vitrea (quæ in colo intestino detenta
 colico dolori similem passionem Galeno excitauit)
 huic præsentaneum remedium erit balneum, sub quo
 illius partes comprehendo. Sic resolutos idest paraly-
 ticos duos alloquutus sum sanitati restitutos huius so-
 lius remedij auxilio: alijs præcedentibus, quæ præmit-
 ten-

tenda erant. Pretereo ca omnia, quæ Guaynerium verè narrasse cenſeo. Ita ſpafmo id eſt neruorum contractioni, à repletionè pituitæ opitulabitur, veluti & oris torturæ, Lethargo, congelationi, affluentia frigidaſi xionis: & vt paucis abſoluâ, omnibus cum cerebri, tum neruorum frigidis affectibus. Eadem ratione ſuffuſioni præfertim ſi adhuc in generatione eſt, ſuccurrent: Sic tinnitum aurium à vapore craſſo diſſoluent. Tridem olfactui & auditui obſtructis ab humore frigido. Haud ſecus linguæ & gingiuarum mollitiei, defectui guſtus, fluxui humiditatum ab ore, tuſſi humidæ. Aſmathi, ac alijs pectoris morbis à cauſa frigida genitis. Sic & ventriculo laxato & humido ſubuenit, in quo pituitæ copia inſarcta eſt. Ita iliacæ paſſioni, & colico doli à flatibus craſſis & viſcidis. Quin & vteri ſuperfluum humiditatem tollit: hacque de cauſa mulierem ſterilem fœcundam reddere poteſt. Ferunt & eius aquæ, quæ in vrbe eſt, potu calculum diſfringi. Eodem pacto Arthritidas à pituita ortas, ac iſchiadicum dolorem ſupra hominum opinionem iuuat. Sic vidi plurimos, quibus ob acceptum in genu, aut in cubito vulnus materiæ copia in eam partem defluxerat, quæ ædem atofum tumorem excitauerat, à quo aut brachium, aut crus adèò rigida detinebantur, vt earum partium motum perdiderint, priſtinum motum omnino recuperâſſe. Admirabilem enim facultatem habent in duritie etiam ſchirroſa diſſoluenda, & neruis roborandis, ex quouis duorum vltimorum duritiei generum fuerint. Triplex enim durum eſt Galenolibro quinto capitu. quarto ſimpl.

durum siccitate, cui non auxilio sed damno esset. Durum tensione, & durum concretionem, duobus his auxilio euentissimum est: præsertim vbi tésio à frigidæ materiæ multitudine fit. Nollem tamen à me iam dicta ita intelligeres, vt existimares te à quavis Balnei parte promissos effectus assequi posse. Longo etenim intervallo seiunguntur, quæ Laconicum Lauacrum, Embrocha, Lutum & eius aquæ potio in corpus nostrum agere nata sunt: vt sequenti capite docere speramus. Felicissimè etiam morbi qui vniuersum corporis ha-

bitum fœdant & afficiunt: cuius generis sunt

psora, impetigines, vitiligo, elephan-

tiasis, & similes, abiguntur: di-

uino potius quàm huma-

no sacrorum istorum

Balneorum

vsu.



LIBER SECVNDVS
 QVO DICTORVM BAL-
 NEORVM AQVENSIVM
 RECTVS VSVS CONTINE-
 TVR: ET EX CONSE-
 QVENTI OMNIVM
 SIMILIS FODINAE
 ET FACVLTATIS.



*FACVLTATVM uniuscuiusque partis Bal-
 nei explicatio, & primum, de Laconico.*

C A P. I.



ORBORVM curationes
 methodo prosequi non possu-
 mus, nisi prius saltem crassa
 Minerua, aperuerimus varia-
 rum balnei partium vim & fa-
 cultatem. Has autem tres esse
 dicebamus, Laconicum, Bal-
 neum, & Embrocham, quibus
 Lutum, & aquæ potionem addemus. Quidam enim
 sunt affectus, quædam corporum constitutiones, qui-
 bus ex vfu est solum Laconicū, aut solū Balneum, aut
 solum Lutum, aut sola Embrocha, aut sola potio. Aut
 ex ijs duo, aut plura, aut pauciora, atq; modo hæc, mo-

C iij

dò illa. In quibus ratione præscribendis hallucinabitur quisquis horum facultatem non prænouerit: quam ut doceam horum curiosas & inanes conciliatoris, Sationarolæ & similiũ definitiones præmittere, non minus absurdum iudicò, quàm si Grammatices præcepta enumerare aggrederer: ut dictiones & phrasas quibus vtor facilius intelligerentur. Neq; enim omnis qui de re aliqua suscipitur sermo debet à definitione proficisci: sed solũ is qui est de his, de quibus nõ facile intelligitur quid sit id, de quo sermo habetur. Longè igitur præstátius & proposito sermoni aptius iudicamus: nouisse Laconicum duplex inueniri, siccum & humidum. Siccum appello conclusum vndiq; locum, in quo aër calidus habetur ignis calore concafactus. Eius generis hypocausta in Germania hodie frequentissima visuntur. Humidum voco, in quo aër calidus quidẽ est non ab igne, sed ab aque vaporibus inibi retentis, & aëris congenitam qualitatem alterátibus & perspicuitatem offuscantibus. Tale illud est de quo nũc sermonem habemus. Cuius facultas cum in aëria substantia cõsistat, duplici ratione in corpus operatur: quia admouetur cuti, & quia intro sumitur per inspirationem. Atq; suas facultates aër ille facilius alijs in corpus insinuabit. Siquidẽ nemo inficias ire potest, quin tenuior substántia facilius crassiori sese insinuet, in reliquis seruata æqualitate. Prætereã nõ modò facilius suas operationes exercebit, sed & vniuersalius nulla etenim est vel minima particula exterior, quæ eius contactũ effugiat. Adde hũc quaqua versum, promptius permeare foris intusq;. Potest autem prima hæc totius balnei pars Laconi-

conicū dicta, materias per totū corp^o tū calfacere, tum verò liquare, Præterea quæ inæqualia sunt æquare, & cum laxare, & multa excrēmēta quæ sub hac detēta fuerūt vacuare. Humores liquare, nō solū quātū laconicū ficcū, de quo Galen^o x. Met. sed & magis verisimile est. Cū nil aliud esse existimē humores liquare, quā eos q̄ vel à siccitate, vt in melācholia contingit; vel à frigore, vel à crassitie, vel à visciditate, vt in pituita p̄sertim vitrea fieri solet, parti alicui hærēt humidiores, tenuiores & vt vno verbo absoluam, fluxiles magis reddere. Hæc autē à vapore & aère calidis, nec admodū ficcis, nec admodū humidis cum nō ab aqua dulci emergāt, sed salis, nitrosa, & sulphurea, cui incidēdi, extenuādi, abstergēdi & calfaciēdi vis inest: nō solū quantum à laconico ficcō posse præstari: sed etiā multo potētius verisimile est: si vulgatū illud principiū cōsideremus quo admone mur cōtraria contrariorū remedia esse. Eadē ratione & maior ab isto sequēt cutis laxitas, & maior excrēmētorū circa cutem hærēntium exhalatio. Haud silentio inuoluendū iudico, quod cum summē sit obseruādum negligi tamē conspexi: aērē hūc quotidie mutare cōuenit, ne vitiū cōtrahat: siquidē omnia calida & humida in loco calido & humido detēta, nisi diffletur promptē putrescunt. Id vt fiat, fenestras vitreas septentrionales circa solis occasū aperire oportet. Deinde linteolo vel flabellis cōtentū aērē explodere. Sicq; nouo se insinuādi potestati facere: demū aquā ex qua vapores tollūtur mundā, purā, limpidā, ac fluētē esse necesse est. Nō infestā cœno vel lotionē mulierū quibus mēstrua fluūt, aut ælephantiasis, Lepra, morbo primū Neapolitano, nunc

cōmuni, aut simili affectu laborantiū: alioqui plus dāni quān vtilitatis ex his vaporibus sentiēt: nā humores ab illis cōcalfacti prōptē putrescēt, & febrē excitabūt putridā, aut alios affectus humorū putredinis soboles. Alia multa dici possent, pręsertim circa loci & tubulorū stru cturam, veluti canales neque çneos, neque plūbeos debe re esse, nec locum angustum nimis, & humili cōtigna tione, nec ligneis, sed lateritijs parietibus cōclusum, tot & talibus cubiculis contiguum, & similia multa: quę omnia prętereūda iudico. Non enim architectum, sed Medicum instituendum suscepi. Haud tamē tacendum est, pręter iam dictū Laconicum, vehemētissimum & in agēdo efficacissimum parari posse, si occlusus ille ca nalis de quo in balnei historia, perforaretur: illi etenim foramini affectum membrū superpositum, incredibile sentiet iuamentum.

De Balnei facultatibus CAP. II.



VM balnei cūm nomē, tum facultas, hac in disceptatione primas partes sibi vendi cent: de illo ex Hip. & Gal. varijs locis me ritō differendū est. Balnei nomē duplici ter sumi cōsuevit. Aliquādo omnes simul balnei partes cōprehendit Laconicū (de quo primo lo co egimus, quia primū est situ & vsu) lauacrū, Embro chā seu Gutturriū, lutū, & alia loca Lauacro contigua, quę ante ipsius vsū vel post sunt vtilia. Aliquando so lum lauacrum balnei nomine intelligimus. At aqua ex qua perfundimur vel simplex, nec mista est, ac ex eo rum natura quę Græci *ἀραια* vocare consueuerunt, vel mista ab arte, vel à natura. Priorem dulcem appel-

appellat Galenus. Ex posteriori quam à natura mistam dixi, sponte nascentem vocat. De quarum facultate & vsu tertio sanit. tuendæ se dicturum pollicitus quidem est, at promissi immemor verborum consecutione deductus, hoc omisso ad lasitudines diuertit. Nec de illis alibi mētionem fecit, nisi obiter & per trāsennam, vt com. in Aph. II. sec. III. & à Meth. vbi ex lotionē in aquis aluminosis quendam in diariam incidisse scribit ob cutis stipulationem quam inferūt. At de balnei

» aque simplicis seu dulcis viribus, varijs in locis scripsit,
 » ex quibus eas collegimus, quas proposito balneo aquę
 » si in vrbe scaturienti cōuenire censemus. Qualia sunt
 » balneum dulcis aquę calidæ calfacere, partes duras, de
 » las, tenasque emollire, fundere, rarefacere, ac meatus
 » dilatare: excrementum putreque, si quod intus ad
 » cutem heret, euocare, totum corpus vacuare. Quod si
 » midū ac fuliginosum est digerere. Si turbidos, eos qui
 » non sitiunt efficere. Liquefactis in corpore excrementis
 » fluxiones excitare. Alimentum in corpus distribuere
 » Ad hæc lateris pectorisque & dorsi dolorē mulcet,
 » sputū maturat educitque, & spiritum facilem reddit,
 » lasitudines tollit, vrinas ciet, capitis soluit grauitatē,
 » & similia iuuamēta præstat. vt. 3. sanit. tuendę, & com.
 » III. in lib. de. Rat. vic. in Ac. ac alijs in locis. qui effectus
 » cūm particulares sint, non veniunt enumerandi
 » quandoquidem methodico vniuersales facultates tradidisse sat est. Qui omnes effectus si moderatę caliditati & digestionē simplicis aquę tribuuntur, quantò magis huic sunt tribuendi: in qua præter acquisititiā caliditatem est & innata caliditas: deinde tenuandi, inci-

dendi & abstergerendi vis à sulphure nitro & fale: vt ex
 IX. simp. est manifestum. Ascribuntur quidem balneo
 dulcis aquæ alij effectus, humectare, calfactos, & à sole
 adustos refrigerare, febricitantibus etiam ardente auxi
 liari, somnum prouocare, sitim ledare: quos proposito
 balneo conuenire non putamus, nisi fortè per accidés
 vacuata materia calida horum aliquod præstent. Nec
 etiam huic balneo cōuenit quod habetur com. in Aph.
 ” xv. sec. II. Quæ fit per balneas euacuatio parua est, & fe
 ” ré solam cutem euacuat: quæ autem sunt per carnē &
 ” partes solidiores dispersæ superfluitates, haud suffici
 ” enter balneis vacuantur. Cuius oppositum asserere vi
 ” detur XI. Merh. in quibus Balneum totum corpus eua
 ” cuat. Et com. in Aph. II. sec. IIII. scribens. Balnea cali
 ” da præsertim sulphurea, nitrosa & bituminosa totum
 ” corpus æqualiter euacuant. Quæ sententiæ si non seor
 ” sim examinentur in morem eorum, qui Galeni floscu
 ” lorum aut verius sæcū sunt studiosi, haud difficile erit
 iudicare nil illis inesse contrarietatis. Quandoquidem
 duplex Galeno cōstituitur euacuatio, particularis vna,
 altera vniuersalis. Particularis est, quæ partem dunta
 xat aliquã excrementorum onere pressam leuat: Vni
 uersalem verò appellat, quæ communiter ab vniuerso
 corpore humorem subtrahit. Cùm itaque à Galeno di
 ctum sit totum corpus balneo vacuari, non idcirco di
 ctum est, quòd omnes etiam in alto delitescētes partes
 perfecte expurgentur, quales sunt quæ primæ regionis
 nomine comprehendūtur: sed quia vniuersalis vacua
 tio sit vniuerso primūm corporis ambitui exinanien
 do accommodata: postea vltèrius & diutiùs agendo etiã
 alijs

alijs partib⁹. Adde nō inficiari Galenū per carnes & solidiores partes dispersas superfluitates balneo vacuari, sed non sufficienter inquit. Adhæc cum per solam cutem dispersas superfluitates vacuari dixit, addidit ferè. Duplex igitur responsio inuenta est. Prior ex varia significatiōe totius. Posterior ex additione duorum adverbiorum ferè, & sufficienter. Si itaque à toto corpore vacuare balneo simplicis aquæ conceditur ob leuem resoluedi & digerēdi facultatem, quam nactum est, quantò magis id nitroso & sulphureo attribuendum est. Alia obiectio sese offert, quam diluere non erit absurdum, ne cuiquam negotium faceffat, & eam quam meis dictis tribueret fidē imminuat. Com. III. in lib. de rat. vic. Ac. scripsit *γυνομίως δὲ καυσάσθης πικρῶ καὶ δριμύτητι φλέγματος πύρρον, ἵσταται ἐπὶ ἐκείνων ἐναντιώτατον ὑπόχρησιν τὸ βαλανεῖον. ὅτι γὰρ, δημοφορεῖται κατὰ τὸ δέρμας, κατὰσπέρ ὁ πικροχολος χυμὸς, ὅτι καὶ ὁ φλέγματικὸς, διὰς τὸ πογγότε καὶ γλυκὺς ὑπόχρησιν ὅτι ὁ βέννηται πολυχρονίως πικρῶς δὲ ὀμνῶ.* Ipsamet Galeni verba adferre oportuit, quòd Galeni sententiā interpretes non fidē feruārit, alioqui Græca ascribere non solemus. Quæ si Latio sermone donentur sic habent. At si febris ardens à pituita salsa putrescente gignatur, aduersissimum illis esse balneum scire oportet: Haud etenim ita pituitosus humor per cutē dissoluitur, quæ admodum biliosus, ob ipsius cum crassitiem tum lentorem. Neq; extinguitur eū diuturniori cōcoctione egeat. Hæc verba sententiam nostram de affectibus pituitosis horum vsu profigādis non infringūt, idque pluribus nominibus. Primo quia in tali febre, cum in venis maximis ea pituita putrescat, duplici ratione vacuationi

resistit, qualitate crassa & tenaci, ac partium in quas primò balneum operatur intervallo: ob id longo horum vsu egemus, vt aliquid euacuemus. At balneum calfacere iam diximus: ardentia autè febrì calfactio perniciofissima: plus itaque caloris ex ijs balneis sensurus est æger, quàm refrigerationis ex vacuata materia calida. Hac enim spe vbi non destituimur, in febribus, & pharmaca cathartica propinamus, etiam si calfaciant. Secundò cur in pituitam parum possit causam adferes non scribit ea in per cutem nõ posse dissolui, sed addit ~~notat~~ hoc est, què admodum, & ita, quasi fateatur quidem vt unque sudoribus & insensili transpiratione dissolui, sed dissolutionis facilitatem imparè esse. Atque hac de causa postrema particula non balnei vsu in hoc affectu, sed vtendi tempus auersari videtur, nempe ante coctione: quæ pituitæ necessaria est, bili non equè tandem demus, si ita vis, id non præstare dulcis aquæ balneum, quid verat quin id præstet propositum balneum: cui decuplo maior vis in esse liquido cõspicitur ab immistis, quæ sua tenuitate, sua absterfione, suo calore hæc potentiùs & citiùs agere nata sunt. Sed si inter hæc balnea tanta est virium diuersitas, quorsum à nobis calidæ & dulcis aquæ effectus enumerantur. Cùm mistæ potius ex nitro & alijs iam dictis sint adferendi: id optima ratione factum iudicabit quisquis ex iam factis hypothesis didicerit, hæc facultates à moderato illo calore & humorum euaporatione emanare. Quæ vires cum potentiùs & efficacius hæc nitrofa & sulphurea sequantur, cur de negabitur probandi ratio, quæ à minori ad maius deducitur. Hac ratione mo

ti initio eas subtraximus facultates, quæ à frigiditate & humiditate cōgenitis pendēt. Absurdū iudico huic narrationi hoc loco particulares balnei effectus interere, si quidē & numero infiniti & fallaces sunt, adeò vt sine limitatione talia pronuntiantes non errare sit impossibile. vnde Galenus V l. sim. in plantarum historia enarrāda summū & grauē virū Dioscoridē reprehēdit, quòd simplicium aliquot particulares effectus aliquādo stylo sit prosequutus. Quis enim non irridebit si au dierit balneum idē calfacere, refrigerare, impinguare, & idem corpus gracile reddere? Cū tamen hæc vera fiat: sed refrigerat, & gracile reddit non per se, sed per accidēs: nō id corpus ex illi^o vsu, sed ex & abusu patitur abusum autē sub vsu, de quo postea, cōprehendere par est. Quare his erimus contēti, nedū ppositę rei aliquid luminis adferre contendimus, in tenebras incidamus, vt populo accōmodatam differendi rationē sectemur.

De embrochæ facultatibus

Cap. III.



EΜΒΡΟΧΗ Grecis, Latinis irrigatio dici potest. Si quidem eam indicat irrigationem (a verbo βρέχω, quod pluo ac irrigo significat) qua per aquam per epistomium è gutturnio defluentem, aut alia ratione profundimur: vt in impluuiio imbrum tempore fit. Hæc embrocha suæ aquæ vires & effectus iam dictos præstabit: eò differēs ab eiusdē balneo, quòd vni rātūm particulę etiā minimè accommodari possit & cuiuslibet, vt capiti, spinę, cubitis, & alijs artubus, illud

verò nequaquam . . . Deinde quòd in profundum promptius penetret, quod vehementius, & potentiùs agat, id quod ratio & experientia demonstrârunt, in phrenitide, in sistendo è naribus sanguinis fluore, & in alijs affectibus, in quibus ex alto aquam simplicem, aut decoctum aliquod stillamus. Quare si antedictas harum aquarum qualitates desideremus, vbi frigidus & crasso humore occupatam vnam solam particulam liberare volumus, foeliciùs id assequemur embrocha aquæ in vrbe scaturientis, quàm eius quæ extra. Hæc enim ad nervos humectatos & relaxatos artus accommodatior videtur: quandoquidem potentissimè exsiccat & astringit. Illa verò ad ea, quæ ob humoris copiam calfactione, exsiccatione, extenuatione, incisione, abstersione, digestionem, & similibus egent.

De luti & potionis facultatibus
Cap. 1111.



AD Luti facultatem cognoscendam sufficiat quæ initio proprio capite de luti qualitate inscripto diximus, ne eadem bis sint repetenda. Potata illa aqua quæ in vrbe scaturit, aduersus humores in ventriculo, intestinis & venis mesaraycis hærentes potentissimè suas vires exercebit, nullo enim interueniente & integris viribus eas partes attinget. Id ipsum in pulmone & thorace faciet, faciliùs tamen & difficiliùs prout pars propin-

quicr

quior, aut remotior erit à meatibus per quos illa tráfit. Hæ tamé omnes multò scèlicius ex huius potu quàm ex balneo, iam dictos effectus assequétur. Quæ extra urbem est ad relaxationem earundem partium ex sola intemperie humida prodeūtem aptior videtur, quàm ad eundem affectum ex intemperie & humore compositum. At cum harum vniuersali facultate ex proprio loco cognita vnicuique de embrocha & potione ratiocinari facile sit, illis omisis ad rectam vtendi rationem properemus. Multa alia, de his, in balneorum vsu adferemus, quæ temerè multi huic loco inserunt.

Eorum enumeratio quæ autè balnei usum, in quouis morborum genere profligando, sunt consideranda

Cap. V.



ETHODVM exactam vnū aut alterum morbum curandi in Galeni operibus non probè exercitato medico paucis verbis aperire est difficile, in exercitato impossibile: Siquidem methodo quidpià inquirere inueniréque nil aliud est, quàm via quadam & ordine ita in disquisitione progredi: vt aliquid primū proponatur, aliquid secundum, tertium, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipsum

quod ab initio est propositum sit peruētum. Id autem legitime præstare non possumus, nisi ea omnia nobis perspecta sint, quæ methodum necessario præcedunt. Quorum elenchus libr. ij. meth. habetur. Hac de causa à Galeno probatas cōclusiones principiorum vice assumemus: Sicque breui narratio hæc optatum finem fortietur. Quibusnam in morborū differentijs seu formis ex horum balneorum vsu salus speranda sit, paulò antea recensuimus. Nunc eorūdem neque causas, neque signa à nobis audire nemo expectet. Sed qua ratione illis vtendum sit, vbi recensuerimus quod sequimur assequemur. Ex iam perpenſis aquæ & luti facultatibus præcipue sex morborum genera, seu mauiſ species sanari posse conijcimus. Intemperiem frigidam, humidam, frigidam & humidam. Aut frigidam cum humore, aut humidam cum humore. Aut frigidam & humidam cum humore. Quibus tamen instrumentalium & vtrique parti communium morborum differentiæ plurimæ complicantur. Sed cum hæ & illæ quæ à partium diuersitate sumuntur, si adinuicem connectantur, modo cum his, modo cum illis, veluti ex vigintiquatuor liſarum mutua cōnexione vocum numerus nobis infinitus gignitur, ita infinitus ex tali differentiæ cōnexionem morborum numerus resultabit: qui methodi limites superat: ob idque in eo tradēdo non rationalem viam, sed confusionē ingredi oporteret. Si quæ tamen à partium diuersitate, aut aliorum humorum mixtione, aut ab alijs erūt sumēdæ indicationes, illæ non omittentur. frigidā & humidā cum humore, proposito in exemplū alicuius partis affectu ita examinemus, vt curationis

alia-

aliarum partium, & aliorum affectuum veluti index esse possit. Proponatur aliquis podagrico dolore vexatus, qui in vtroque pede œdematodes tumor adfit. Hic dolor symptoma est à duplici morbo excitatum ab intemperie frigida & humida, & à solutione continui nempe à tensione. Tensio autem à morbo instrumentali à magnitudine aucta pendet. Magnitudo aucta causam habet pituitæ multitudinem. Vt igitur hunc dolorem tollas, intemperiem & tensionem tollas oportet. At ambo hæc à pituitæ multitudine fiunt, hanc igitur semouere oportet, vt summoueatur considerandum, num proprio affectu, num per consensum, pars affecta laboret. Num vtroque proprio & per consensum. Aut si maui, perpendere oportet, num is humor ibi genitus sit, & adhuc generetur. An eò transmissus fuerit, & transmittatur, ac transmitti consueuerit. Si aliunde transmittitur, ex proprijs indicijs intemperiei vniuscuiusque partis cognoscendum, num à capite male affecto, num ab hepate, num à ventriculo, num à toto genere venoso, aut alia parte, alijsue, ad intemperiem frigidam vergentibus id accidat. Hoc cognito, videndum est an sola intemperies in ea parte adfit, an vnà cum intemperie pituitæ quantitas. Adhæc num solita euacuatio aliqua suppressa, huius causa sit. Demum considerandum cum plethorane, vel quæ ad vasa, vel quæ ad vires spectatur, an sine plethora sit. Demus hominem esse sanguineum calidi & humidi temperamenti plethoricum: Qui ob cibos mali succi, & vitam otiosam, vel ingluuiem, ac vorandi consuetudinem diuturnum fomnum, vel aliam quampiam causam vt subi-

tum à cibo largum veneris vsu, in cerebro ac vetriculo multam pituitę copiam collegerit, qua veluti onerata natura, tanquam superfluo & inutili excremęto, eam per periodos ad pedes transmittat. Nullaq; in eo suppressa sit vacuatio. Nam si aliqua affet suppressa, in primis eius euocationem curationis ordo expositularet. Siquidem epilepsiam vidimus multis remediorum generibus per annos aliquot à doctissimis Medicis tentatam, nulli vnquam auxilio cessisse. Postremò reuocata vacuatione per tibiam fieri solita, hominem penitus liberum reliquisse. Sic in alijs cùm morbis, tum vacuationibus necessariò faciendum ratio Galeni auctoritati septimo Meth. innixa docet, & experientia confirmat. Sed ad nobis propositum ægrotantem redeamus. Huic ob plethoram mittendus sanguis est à viriũ robore, & morbi magnitudine sumpta indicatione, non omisis indicationibus coadiuuantibus, (quorum plurimas sub virium robore cõprehendi nõ ignoramus) à corporis constitutione, ab ætate, ab aëris intemperie, à secuturis euacuationibus, & alijs. Si enim propositus vir carne sit laxa, molli, pingui & alba, ac gracilibus venis, & modici sanguinis, huic aut sanguinem non mittes, aut parum detrahes. Quòd si præter hæc tempore æstatis in regione æstuosa, & cæli statu calido ac sicco versetur, huic planè sanguinem nõ mittes. Quandoquidem virium robur in isto veluti in eo qui nondum decimumquartum annum attingit, non adesse conijcies. Deinde ita earum euacuationum quæ postea fient pharmacis, balneo & inedia rationem habebis, vt ex his omnibus inuicem iunctis eam vacua-

tionis quantitatem assequamur, quam animo conce-
pimus necessariam esse. Postea cerebri & ventriculi,
à quibus eam pituitam gigni supposuimus, ratio ha-
benda est.

Complicatorum affectuum consideratio.

C A P. VII.



AMQUE hinc complicatorum affe-
ctuum consideratio sese offert, quam
hisce paucis verbis cōprehendimus.
Ut quid à quo, Quid ante quid, Quid
cum quo, Quid post quid, sanari queat
consideremus. Nisi vel morbus, vel
simptoma aliquod maius vitæ periculum minetur.
Tunc enim, vt propriè loquar, non seruato sed potiùs
interrupto ordine illi occurrere oportebit. At si nec à
iam propositis morbis, nec à simptomatibus eos con-
comitantibus ordinatè curandi induciæ denegentur:
liberam sectabimur viam, non coactam, qualem eam
esse sepe numero cōtingit, quam Sep. Method. docuit
Galenus. Cum ab eo exordiendū admonet, à quo ma-
ius vitæ periculū impendet, perpédamus igitur, Quid
à quo, id est quisnā horum affectuū ab alio dependeat,
aut generetur, aut augeatur, aut ex alterius recuperata
sanitate sanitatè recipiat. Quid ante quid, id est, Si ho-
rū affectuū vnus ab altero ita depédeat, vt alterius cau-
sa sit, ille verò illius effectus, is qui alterius causa est an-
te aliū venit summouédus. Illud pro cōperto habétes,

non posse ad perfectionem vllum affectum sanari, manente adhuc ipsa vnde natus est causa. Quid cum quo nobis indicat considerandum, num eodem tempore vno aut pluribus remedijs illis pluribus morbis, liceat occurrere. Ordo etenim curationis ita se habet, vt aliquando simul & semel plurium curationem non modo molliri, verum etiam assequi concessum sit. Aliquando vni affectui succurrere conceditur citra alterius noxam. Aliquando ita contraria remedia expostulant, vt dum vnum propulsas, alterum augeas oportet. Sicut in phlegmone vlceri coniuncto, in quibus manifestum est quæ phlegmonem sanât, ea maius reddere vlcerus. Atque sub hisce particulis, si negatiuè sumantur, comprehendere possemus: quod Galenus cõsiderandum initio dixit. A quo maius vitæ periculum impendat. Nam quid cum quo sanari non possit nobis indicabit, temerarium esse velle alicuius affectus curationem aggredi, neglecto eo vel affectu, vel symptomate, quo non ablato homini periclitandum est, præsertim vbi illum oppugnando id à quo in mortis discrimen homo deducitur non oppugnas. Exemplo euidentissimo tibi sit febris cum lipothimia, cui si sanguinis missionem & catharticum medicamentum, quæ febrim debentur, adhibueris, non medici sed carnificis munere fungèris. Id autem vnde indicatur, nisi ex consideratione eius cum quo coniungitur febris? Sic vt in proposito exemplo lectorem exerceamus. Demus eò peruenisse ventriculi intemperiem iam dicti podagrici, vt coctionem omnino labefactare cernatur. Pituitæ quæ in huiusce pedibus hæret euellendæ: non alienus à
ratione

ratione esset vsus catapotiorum, quæ hermodactylos, scammoncam, Turbit, Colochintida, & similia recipiunt. Huius etiam generis est compositio illa celeberrimi viri domini Petri à Bayro, quam Garicostinum appellari voluit. Hisce tamen si vtaris ventriculi imbecillitate neglecta, hominem ad extremam debilitatem deduces, nec postea virium robur recipere fas erit eo labefactato, sine quo vana sunt omnia auxilia. Id autem non aliunde indicabitur, quàm ex eo cū qua coniungi podagram contingit. Is itaque affectus cum quo alij coniunguntur, si magnitudine longo interuallo illos superet, ab eo incipienda erit curatio. Superabit autem duplici nomine, vel quia facultatē lædit, quæ corpus gubernat. Vel vt clariùs loquendo duo sub vno comprehendam, quia actionem labefactat præstantiorem, & corpori magis necessariam. Ne iuxta hanc considerationem ratiocinandi actionem ventriculi aut iocinoris opus excellere putes. Altera affectus magnitudo ab eius propria essentia desumitur, quam iterum bipartitò secamus, in ipsius morbi vehementiam, & malignitatem, vt colicus dolor cum ventris aut intestinorum intēperie, aut alio quopiam affectu. Huius enim doloris vehemētia ad se curationem trahit. Sic etiam si malignior vt vulnere iniectum venenum, aut neiui punctura, aut conuulsio, & talia si vulnere cum phlegmone & similibus complicentur. Sed iam ad institutum redeo, ne si verborum consecutione deductus, vltteriùs digrediar: illud Horatij mihi obijciatur.

*Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare, quid hoc, si fractis enatat expes*

*Navibus, ere dato qui pingitur? amphora cæpit
Institui currente rota, cur Urceus exit?*

Reliquum est, ut quid post quid sanari debeat consideremus. At si verum est contrariorum eandem esse disciplinam. Si ex iam dictis novimus quid ante quid sit faciendum. Iteratò quid post per quid examinare superua caneu est: hoc enim ex illo iam cognitum esse debet. Iam itaq; ad ordinem in propositis affectibus examinandum accedamus. Dolor podagricus primus sese offert tollendus. At ille ab intemperie & à tensione morbis pendet. Sed hæc à ventriculi & cerebri intemperie frigida à qua pituitæ copia gignitur fiunt. Hæc intemperies facta est à pituita, quæ à cruditatibus, aut alijs causis inibi collecta, in sibi similem intemperiem tandem partes illas immutavit. In hoc causarum affectuum & symptomatum complexu, si iam dicti ordinis non es immemor, à quo maius vitæ periculum impèdeat spectabis. Aut si mauis considerabis, num hi cum aliquo complicentur, qui reliquis maior manifestè conspicitur. Sit enim exempli gratia dolor hic adeò vehemens, ut ab eo vires prosternantur. Ab isto demulcèdo exordienda curatio est, non solum per verè anodina, quæ doloris causæ summouendæ sunt accommodata, sed etiã per stupefacientia, si aliorum remediorum omnino deplorata spes est, alioqui non. Fingamus cum miti dolore eò deuenisse ventriculi intemperiem, ut coctionem labefactet. Quia hæc intemperies reliqua magnitudine vincit, ea inquam magnitudine quæ à præstantia læsæ actionis sumitur. Ab ea frigiditate retundenda calidis
cùm

cùm ad motis, tum sumptis, erit curatio incipiēda. Atq; si quæ ab horum natura suggeritur indicatio similia exposulet, facilis est curandi via. Siquidem solùm auctiori quantitatis remediorum, intentioni qualitatis, frequentiori eorundem repetitioni aut immutationi, Medicum intentum esse oportet. At vbi contraria exposcūt, veluti proposita doloris vehemētia, stupefaciētia quę impensissimè refrigerant. Affectus doloris causa, nempe frigida intemperies calida hęc opus, hęc labor est: hęc Medici prudentia, quā non temerè necessariam prædicauit Hippocrates, erit exercenda, qua si prospere velit vti, ita horum vsum moderabitur: vt illatam noxam postea refarcire concedatur, ne relictum secundo loco curandum affectum incurabilem reddat. At si horum nullus sit qui vires labefactans ad se curandi ordinem reuocet, exposulat ratio ab illius curatione exordiaris, qui alterius causa est, ac alterum fouet. Spectemus igitur num ventriculus proprio affectu laboret, num per consensum cum cerebro, num vtroque proprio & per consensum. Demus enim continuam à cerebro in ventriculum pituitę fluxionem intemperie vetriculi & generasse & augere. Sanè priusquam ventriculo prouideas, hanc sistere oportet, deinde alios affectus eodē ordine curare. Sic enim nobis indicârūt quæ sub his particulis cōprehēdi explicuimus. Quid à quo, Quid ante quid, & quid post quid. Sed à postrema particula, quid cū quo sanari queat admoniti, cōsiderabimus num eodē tēpore, num eisdem remedijs omnibus his affectibus liceat occurrere. Cūque omnes hęc intemperies fouentem causam habeant

humorem pituitosum huius vacuationem aggredi oportet: præsertim cum harum partium connexio ita se habeat, vt nec à cerebro, nec à pedibus vacuare possis, quin & ventriculum vacues. Facilis itaque iudicari debet ea connexio, in qua omnia in vnum remedij genus conspirant, vt hinc proposita complicatio ad pituitæ vacuationem. At quæ à vacuatione & humoris vacuandi natura suggeritur indicatio, commonstrant præmittendam esse aliquam præparationem: sed quid si præparatio hæc, sequenti capite aperiemus.

Quid sit humorum præparatio, & quæ in ea requirantur

C A P. VI.



VID sit præparatio hæc, vnde melius discere possumus quam ex ipsius rei propositæ natura: Præparamus vt facile trahamus: At vt id prosperè atquequamur, tria etiã cuius plebeio necessaria videbuntur. Vt fores ac tota via per quam res trahenda transire debet pateant: vt res quæ trahitur trahentem facile sequatur: vt id quod trahit virium robore rem trahendam vincat. Postrema hæc conditio adseruanda est considerationi, quæ cathartici medicamenti exhibendi rationem dimetitur. Priora duo præparantium ordini debentur. Atque vt à primo exordiar, viæ per quas humores transire debent sunt venæ & intestina, ne hæc pateant impedimen-

to

to est horum occlusio: huic reclusio debetur, vt hæc perficiatur occludentis causæ remotio est necessaria: At hæc causa varia & multiplex esse potest: aut enim quia hi meatus coalescunt, aut quia cõstipantur ab occupantibus cavitatem internam, aut quia comprimuntur à vicina parte, aut quia ipsorum meatuum essentia residet & contrahitur. Atque hæc, nempe compressio & contractio, vel fiunt ob siccitatem, vel duritiem, inflammationem, corruptionem à sphacelo, suppurationem, inflationem, vel dum alia quavis ratione hæ partes hosce meatus cõstituētes, vel cõstituentibus cõtiguæ aduentitia magnitudine turgent: deinde sua mole cavitates occupant, & meatus obthurant. Idque de trunco venę caue, de porta, mesaraicis intestinis, & hisce contiguis, vt hepate mesereo pancrea & similib⁹ intelligi velim. Nam etiam si aliarum venarum quæuis fuerit obstructa nil aut parum vacuationi officiet, nisi fortasse eius partis quæ ab illa nutrimentum accipit. Nulla tamen est meatuum astrictio quæ non sit noxia: vnde in summa ambientis frigiditate velut & in caliditate, periculosa est. In illa ob meatuum nimiam astrictionem, in hac ob immodicam apertionem, quam virium dissolutio sequitur. Aut non patent, quia obstruuntur ab humoribus multis crassis, lentis. Cui igitur propositum erit ita corpus præparare, vt feliciter illi purgatio succedat, hunc morbos hosce instrumentales, si qui adsunt tollere oportet accomodata vnicuique curatione. Quam si narrare aggrediar, nõ quod mihi ppositum est docere videbor, sed ex multis in vnum coaceruatis cõfusionem aliquam constituere. Iam priorẽ preparandi viam attigimus

nunc posteriorem explicemus. Non satis esse dicebamus vias per quas res trahenda transire debet apertas esse, sed & oportere eandem faciliè sequacem habere. Facile sequetur corpus quidem terreum, & solidum, si leue sit collatum robori rei trahentis, si phæricę figuræ: sic enim trahenti aut impellenti faciliùs cedit. Corpus verò humidum de quo hîc sermonem habemus, si suapte natura fluxile sit. Videndum igitur quæ sint impedimêto quo minùs humida promptè & aptè fluant. Imprimis crassities, sic enim flumina minùs rapidè labi cernimus, quæ crassiorem aquâ habent, loci seruata paritate. Adhæc nô facile sequetur glutinosus humor, quod ex ipsa glutinosi definitione facile cômôstratur. Si quidè id glutinosum seu viscidû appellât: quod quid quid tetigerit, huic egrè dissolubilis adhæret. At ambo hæc impedimêta in pituita inueniûntur, substantiæ etenim crassæ ac lentæ est. Vt itaq; eâ fluxilè & sequacem reddamus, ambo hæc demoliri conuenit. Id autem contrariorum vsûm indicat: at crasso opponitur tenue, len-
 to τὸ πύπτικόν quasi deterfuum dicas. Si itaque contrarij nômen paulò vlteriùs protrahamus quàm lubeat Arist. quemadmodum Galeno placet vndecimo methodi, suam illis contrarietatem opponere dicemur, cum extenuantibus, detergentibus, incidentibus, & eam fluxilem facientibus vtémur. Atque cum hæc fueris exequutus, ne te omnia assequutum putes, quæ ad præparationem necessaria videntur: vnũ enim & potissimũ in animato corpore adhuc desideratur. Non enim quemadmodũ in inanimatis omne, cum præparandi, tum trahendi munus externis tales effectus producen

ducētibus causis cōmittitur. Quinimò cūm animan-
 tia hīce quas hīc optamus viribus sint dotata attractri-
 ce & expultrice: nisi has coadiutrices habuerimus, in-
 fœlices & improperi erūt nostri conat^o. At expultrix
 si rectè suo fungat munere nō solet insurgere, nisi post
 absolutā concoctricis facultatis actionē. Sed elaborari
 & cōcoqui nequit res aliqua, nisi retineatur. Quatuor
 itaq; facultatum naturaliū actio consideranda, præser-
 tim duarū ordine postremarū, concoctricis & expultri-
 cis: nam attractricē & retentricem ea tantūm ratione
 perpendi solent, quatenus concoctrici veluti ancillan-
 tur. Constituendus itaque alius, pituitā aut aliū humo-
 rem apparādi modus, qui est omniū primus, potissimus
 & dignissimus: quem natura facit, quam, cūm nos eius
 tātūm ministri simus, non solūm adiuuare, sed etiā imi-
 tari & sequi par est. Hīc concoctio propriè vocatur,
 quam expulsio consequitur: Quādoquidē solet natu-
 ra seu innatus calor in humores agere crudos & aptos,
 vt in vtilē substantiā trāsmutētur, qualis est pituita, ca-
 coctione bonū mutat, reliquū deinde expellit. Crudos
 verò & ineptos ad eam trāsmutationem suscipiēdam,
 vt pote quibus nulla est substantiē familiaritas cū trans-
 mutātis substantiā: quales sunt bilis vtraq;, serū sangui-
 nis *exāpes* & similes cōcoquere dicitur, cū eos superat ac
 vincit, ab alijs seiūgit & separat. Sic enim cōcoctionis
 vocabulum sumi vult Gal. com. in lib. Hip. de ra. vic.
 acut. vt igitur apparata materia sit, vel eam turge-
 re oportet, vel concoctam esse. Turgere autem con-
 stat, quando inordinato quodam motu ab vna parte in
 aliam transluit. Veluti concoctā dicimus, cūm natura

humorem vincens ac superans malignum à bono se-
 creuit, & eius excretionē aggreditur. Hæc tamen non
 semper est expectāda, sed solum in his morbis, in qui-
 bus fieri solet, vt in febribus continuis, & similibus. In
 alijs verò morbis in quibus nulla fit coctio frustra ex-
 pectaretur, vt in podagra, colico dolore, elephantiasi,
 scabie, impetigine, & similibus. Priores igitur duos
 præparationis scopos nempe meatuum reclusio, & hu-
 moris fluxibilitas à quibus sæpe tertius nempe conco-
 ctio pendet Laconico, & balnei vsu assequi possemus,
 si nobis propositum esset totam hanc pituitam per cu-
 tem insensili transpiratione euacuare: at id non possu-
 mus multis de causis. nam eam præparant quæ circa
 cutem est, præparando euacuant, euacuando trahunt
 in venis & alijs partibus contentam. Sicque obstructio-
 nes augent, totius corporis habitum vitioso succo re-
 plent: quòd si pergas vacuare donec tota primùm præ-
 parata, deinde tota vacuata fuerit, cùm indiscrimina-
 tim illa vacuatio fiat & primò omnium tenuiorum ac
 promptiorum ad transpirationem, proculdubio homi-
 nem ad summam debilitatem deduces, natiuo calore
 resoluro. Sicque vel ad mortis discrimen eum per-
 duces, vel intemperiem frigidam summoperè augebis.
 Adde quòd ab horum vsu ad pharmaci purgātis vsum
 transire non oportet, contrarijenim horum motus
 sunt: hoc enim ad interiora, illud verò ad exteriora
 trahit: vt postea in eius vsu docebo. Quare alia via
 incunda est, ex qua citra damnum quam sequimur
 vtilitatem, assequamur. Id fiet per sumpta serapia
 vel decocta ex herbis, aut earum partibus humorem
 hunc

hunc præparantibus, aut etiam potione aquæ in vrbe scaturientis, præsertim post vsum mitiorum. Ne si initio id fortioribus moliamur, materie multitudo ad motum incitata è venis maioribus in minorum osculis se se impingat, ibique reuocationi cõtumax hereat. Eius generis sunt mel ros. serapiũ de mentha, de absinthio, de stechados, de duabus rad. & similia. Itidem decocta ex saluia, betonica, stechados, mentha, absynthio, apio, fœniculo & similibus. Quæ frustra à me connumerantur Medico. Sed obiter sic pauca dicere lubuit, ne viderer post vniuersalium præceptorum enumerationem exercitationis, quæ in particularibus versatur, obliuisci. vbi non terno serapiorum numero (quod ignari faciũt) sed ex signis, concoctionis præparatam pituitam cognoueris phlegmagogo medicamento educenda est. Huius generis sunt hyera picra, agarum, diass. & similia. aut si catapocia magis ex vfu videntur azaireth, elephanginæ, de agarico, cochia, arthetica, & similes. In quibus præscribendis rationali Medico opus est, qui & parti accommodatum, & conuenienti quantitatè nõrit eligere, cui non satis sit semel præparasse, semelque purgasse, sed id iterum atque iterum faciet, donec vniuersam cacochimiam sublata viderit. His peractis, poterit capiti embrocha in commissuram coronalem, ventriculo potione eius aquæ succurrere. At quia in calfaciendo hæc parum possunt, ob id quod intemperiei frigide reliquum erit, id calidis tam sumptis, quam ad motus propulsabis. Eodem tempore pedes in laconicum inferemus præcipue si cutè densam, & humorè admodum crassum esse

conspexerimus: nam & foramina ad id apta, & huiusce aëris vim id posse præstare iam diximus. Ab eo in balneum pedes transferet. Sit autem aqua temperatæ caliditatis, nam quæ calidior est, sibi ipsi viam occludit cutem contrahens & densans. Ab horum vsu cum maiorem & tenuiorem partem exhalâsse conspexerimus, ad relictam crassiore & duriore dissoluendam embrochæ pedes supponemus aliquo temporis spatio. Vbi hæc facta sint, ad luti vsum transibit. Vbi ex horum vsu nil pituitæ relictum conspexeris, sed solam humidam intemperiem, ac dictarum partium debilitatem & relaxationem vsu aquæ ultra Burmidam scaturientis hanc aptissimè tolles. A capite embrocha, à ventriculo potione, à pedibus embrocha & balneo. Horam autem ad id accommodatam & omnia quæ veniunt obseruanda in balneorum vsu explicemus.

Peculiaris & propria enarratio vsus balnei Laconici & luti

CAP. VIII.



T balnei vsum certa quadam & ordinata ratione tradamus, ad limitatos quosdam scopos reducendus non temere videtur. Hi autem primaria & vniuersaliori partitione ternario numero secabuntur. Primum enim videndum est quibus fit vsui. Secundum quo tempore. Postremo quare ratione administrandum fit. Atque veluti in
 eius

eius facultate indaganda vexillarius nobis fuit diuinus Hip. Ita hîc ab eiuſdem voce tanquam ab Apollinis oraculo exordiamur. Id enim nobis licere ex cap. II. huius libri manifeſtum eſt. Nam ſi dulcium calfactarum aquarum effectus in quibuſdam cōuenire cum ſulphureis & nitroſis oſtendimus, quid vetat quin & vſus, in multis, ſit ratio eadem. Nos autem non omnia nulla adhibita diſcretione adferemus, ſed ea tantum quæ vtrique accommodata iudicabimus. Atque vt appoſitè hæc intelligas, priùs caput illud perlege, Alioquin ſcādalum patieris, ſed erit acceptum (vt cum ſcholasticis loquar) non datum ſcandalum. Is igitur lib. de rat. vic. ac. ſic ſcriptum reliquit. Qui in morbis aluū plus iuſto humidiorẽ habent, ij non ſunt lauandi, neque ij quibus magis quàm decet, detinetur, & ſoluta non ſit: neque quibus vires languent, nec cibum faſtidientes, nec nauſeabundi, nec biliola ructantes, neque quibus ſanguis è naribus profluit, niſi minus quàm decet fluxerit, nec quod decet te latuerit. Nam ſi minus quàm decet fluat, lauabis, & ſi vniuerſum corpus in cæteris, & ſi caput duntaxat, iuuerit. Si igitur apparatus hi conuenientes fuerint, æger quæ foeliciter balneum ſuſcepturus ſit, lauare oportet. Qui- bus ex verbis & com. III. Galeni quatuor vniuerſales conſiderationes colligimus, vt quibus ſit vſui, cognoscamus: quod primo ſectionis membro quærebat. Ab affectus ſpecie, à viribus, à vacuationis modo, à conſuetudine. Obiter etiam attigit tempus opportunum, ſed conſiderationi huic iam proprius dicitur eſt locus, in primæ partitionis ſecundi membri

Cap. 7. lib. 1.

examine. Ab affectus specie, quæ habetur confideratio iam dicta est: ob id non est quòd pluribus id aperiam: id tantum dixisse sat est nemini non manifestum esse debere Elephantiasim, scabiem, impetiginem, vitiliginem, alphas, exanthemata, seu papulas, ac similes extremarum partiũ affectus, ab humore mordaci, acri, & putri, aut alio humore vitioso genitos foelicius horum vsu profligari, quàm partium in corporis profundo sitarum affectus. Atque hos vel illos promptius vel ægrius curari, quanto ad horum vel illorum naturam magis minusve accefferint. A viribus quia ijs vel deficientibus, vel defecturis vel ob vacationem, vel quamuis aliam causam eo non est vtendum, veluti nec alia quapiam vacatione. Ob id ne debilitatis quidem viribus longo viatico, vt eò perueniatur, balneum primo die ingrediendum, sed prius biduo aut triduo reassumendæ vires: deinde reliquis non repugnantibus balneum adhibendum. Sic igitur circa id considerationem hanc versari iudicamus: vt curatione adhibeatur, ne vires plus satis deiciantur: sed quid ferre queant diligenter metiamur. A consuetudine quæ sumitur iudicatio eiusdem ordinis est cum ea, quæ ab ætate, à temperamento, ab ambientis conditione, à tolerandi facilitate, promptitudine, & similibus. Quæ etiamsi scopum nostrum non omnino immutent, tamen augment, aut imminuunt. Et quod seorsim autoritate nequeunt, id iuncta multitudine possunt. A vacationis modo, quia cum balneum vacuando ab intimis ad extremas corporis partes trahat: si vel natura, vel ars ad

ad interiora impetum fecerit, vel sit factura, vt per alui deiectionem, vomitum, hemorrhagiam, aut similem vacationem non est illi opponendus motus ad exteriora. Nec si adsit fæx alui, aut humor multus præfertim crudus, eo vtendum est. Hæc enim à balneo ad exteriora trahente per vacua spaciola, & extremas venulas dispergentur: sic vniuersum corporis habitum inficient. ob id priùs talia excrementorum genera leui Medicamento sunt educenda, vt postea ostédemus. In temporis opportuni obseruatione tria animaduersione digna videntur. Ne ante ingesti alimenti absolutam coctionem. Ne ante humorum præparationem. Ne ante totius euacuationem adhibeatur. Quæ vt confirmemus, ne longa ratiocinatione vti cogamur, præstat Gal. authoritates suis rationibus, vt sui moris est,

„ munitas, in medium afferre. lib. de Marasino scribit,

„ Balnearum vsus ad aliméti in corpus digestionem est

„ efficacissimum præsidium, non tamen ab inedia diutur

„ na, sed à coctione vtentibus. Huic enim qui nuperri-

„ mè cibaria ingesserit balneæ adhibitæ crudis corpus

„ succis & incoctis implent. Iisdem ab inedia eliminan-

„ tur vires. In alijs autem conditionibus in mox citato

„ præcipuè lauacra sunt à coctione adhibenda. Id ipsum

„ in sanis imperat lib. san. tué. Sic Hip. loco iá dicto. La-

„ uari is non debet, qui modò sorpsit vel bibit. Absolu-

„ tam autem coctionem duplicem intelligit, ventriculi scilicet & hepatis, quam non hora ante prandium, & ante coenâ dimeteris, nec hora diei temperatori, nec vbi sol à nostro Zenith maiori interuallo seiungitur, vt circa ortum & occasum: vt quidam cum suo Mon-

tagnana facere solent. Etiam si magnoperè optádum & strenuè conandum sit, vt absoluta coctio in hanc horam incidat, quod prudens Medicus cognita egrí natura ex diligenti animaduersione qualitatis & quántitatis ciborum facílè assequetur. Sed proprijs & accommodatis ad id signis est dicta coctio cognoscenda: quæ ex II. san. tuen. discēs, vbi horam ineundæ exercitatio- nis præscribit. Ex horú numero est vrina, quæ multò coloratior & magis tinctá sit quàm esset præcedens. Nam verè híc cum Gal. pronuntiare non possumus. Cùm mediocriter est rufa mediocritér ve palens secundæ coctionis terminũ esse. Siquidem ille temperatum hominem, nos verò ægros in quibus variæ causæ lotiũ magis minúsve tingere possunt tractádos suscepimus. Coniectari etiá licet ventriculi coctioné peractam esse per abnegationem signorũ nondum peractæ aut cruditatis: vt pote si neque tensio, neque magnitudo, neq; grauitas, neque pòdus, neque ructus aut acidus, aut nidorulentus, aut cibi qualitatem referens sentiat. Præmittendam autem esse humorũ concoctionem, & totius corporis vacuationé prædicto com. asserit ijs verbis. Est quoque expositũ quonam pacto coctis morbis ptifana vti velit, quo tempore & balneum sine periculo conciliatur. Deinde in expositione sequentis particule. Dolorẽ balneũ mitigare ait, & spura maturare, sed sanè vacuato prius corpore id factitandum. Sciuerisq; in vniuersum de balneorum viribus, quòd si non antea vacuato corpore exhibeatur, membris affectis fluxionem parit. Vacuato autem si exhibeatur, coctionem iuuat. Nemp̃ corpore toto antè vacuato adhibitũ vacuato

cuatoriã obtinet facultatẽ. Alij multi sunt loci, in quibus monet Galenus, ne ante concoctionem & euacuationem balneo vtamur. Sed animaduersione dignum est quõdam vacuationis genus intellexerit. Ex x. Meth. Med. ex Aph. XLVII. sec. VII. & Zi. sec. VI. eam esse vacuationem conijciẽdum putamus, quæ plethoræ debetur. Si enim eam intellexisset, quæ cacochimiæ debetur, quam cathartico medicamento assequimur, frustra concoctionis meminisset: Hæc enim vacuatio eam sub se comprehendit. Nec vacuamus, quin prius præparemus vacuandum humorem. Nec balneo sed vacuationi talis concoctio deberetur. Nec post concoctionem balneo liceret vt, si hæc totius corporis vacuatio præcedere debet. Nec vtraque simul connectenda, & illis tertio balneum subiungendum, sic enim non post concoctionem adhiberetur, sed post vacuationem, quæ cõcoctionem sequitur. Præterea semper Gal. seorsim modò vacuationẽ, modò concoctionẽ ante balneũ præscripsit: quod si aliquãdo vtriusq; meminit, illa disiungentẽ particulã addidit: vt Aph. XLVII. sec. VII. inquit. Non tamen vbi inflãmatio aliqua aut absq; inflammatione humoris putredo igneũ calorẽ accẽderit, balneę vtilis sunt, antequàm noxi humores euacuẽtur, aut cõcoquant. Hæc igitur esse Gal. mētẽ indicam. In his in quibus lauacra sunt vsui si plethora adsit, hæc est summouenda, deinde expectãda noxi humoris balneo euocandi concoctio. Hoc tam oportuno tẽpore si adinoueatur, non solùm fœliciter vacuabit, sed etiam nondum plenẽ absolutam cõcoctionem perficiet præsertim propositũ balneum,

cui non minorem præparandi quam vacuandi facultatem inesse demonstrauiamus. Hæc vera quidem esse videntur: his tamē addenda esse quædā distant prius enumeratę rationes: quas quisquis didicerit, haud dubiè non solum quæ plethoræ debetur vacationem, sed & eam quæ cacochimiæ necessariam sepe numero indicabit. Nam cum balneum, vt prius ostesum est, quę circa cutem sunt primò dissipet, & dissipando vires magnoperè deiciat, si maximam humorū quantitatem in prima & secunda regione contineri conspexerimus, aut si maualtis in ventriculo, intestinis, vena caua, & alijs maioribus venis, huic proculdubio si balneum ante sufficientem purgationem adhibueris, fluxiones & morbos ab ea genitos, vt podagram, & similes augebis, vires deicies, atque ita deicies, vt ad absolutam vacationem vsque deuenire non concedatur, sic vniuersi corporis habitum vitioso succo plenum relinques: vnde is humor promptiùs putrescet, & morbos excitabit, ægriùs à natura vincetur. Nam quæ concoquuntur mouere non oportet. Is autem non solum balneo motus fuit, sed etiam è proprio loco euulsus. Adhæc expulsionioni quæ crassis humoribus accommodata est, nempe per aluum ineptior est reditus cum ob loci distantiam, tum naturam. Postremò cathartici Medicamenti exhibendi occasio præterfluit: quæ primò appositè sese offerebat. Eadem hæc consideratio docetalui excrementa, vrinas, sputum, & similia ante balnei ingressum excernenda esse, vel sponte naturæ vel arte: clisteres aut catapotia præscribendo, quæ ei humori qui in ventriculo & primis venis est leuiter
vnà

vuà cum alui fæcibus educendo sunt accommodata. Dum tamen leuissima sint, & eorum operatio omnino peracta sit antequàm balneum ingrediamur. At his non obseruatis phlegmone laborantes, podagricos, ischiadicòs, breuiter eos omnes qui affectu aliquo à fluxione genito laborant summoperè ledes: nam vt priùs dicebamus, vbi humorum multitudo adest, his balneo vel motis, vel liquefactis fluxiones augentur. Id tamen non silentio prætereundum est, nobis nonnunquam duo posse sufficere, alimenti coctionem, & totius corporis euacuationem, vt pote in leuibus affectibus solam corporis superficiem infestantibus. Nam propositum balneum non exiguam præparandi humores circa cutem existentes facultatem nactum esse liquidò constat: quam facultatem dulcis aquæ balneo temere ita ascriberemus. Iam duo primæ & potissimæ partitionis membra explicuimus, nunc tertium nempe vtendi rationem aperiamus. Atque iterum hic diuinus Hip. sit nobis viæ demonstrator: ipse iam dicto libro de rat. vic. Ac. sic scribit, via ad folium breuis: facilisque tum ingressus, tum egressus. Qui lauitur cõponat sese, taceat, & nihil agat, sed cæteros tum abstergere, tum perfundere sinat: multæ quoque aque misturæ parentur: celeresque faciant perfusiones, & spongijs pro strigili vtantur. Deinde. Caput verò spongia quoad maximè fieri potest reficcare oportet. Neque caput ipsum modò, verùm & extrema, & quâuis aliam corporis partem à frigoris iniuria prohibere conuenit. Et alia. Sed nos hæc omnia, & quæ à Gal. dicuntur eo Com. & VII. Meth. ad paucas obseruatio-

nes reducemus, quæ rationi cõsonæ videantur: & non solum feбри cuius gratia hæc protulit Hip. sed & propositis affectibus accommodari queant: has autem ternario numero cõprehendimus. In ea quæ ante balneum, quæ in balneo, & quæ post balneum sunt obseruanda. Quæ ante iam ostendimus, vbi oportunũ vsui tempus explicabamus. In balneo tria potissimum obseruamus. Aquæ qualitatem. Moræ in Balneo mensuram. Agenda ab eo qui aqua perfundendus est. Aquæ qualitas est, vt aqua pura & sincera sit, non infecta ab aliqua causa, vt ex lotione mulierum quibus mentes fluunt, aut laborantium epidemia, elephantiasi, morbo Neapolitano, vel similibus affectibus. Tunc enim tota eijcienda est, & noua introducenda. Deinde obseruandum est, vt téperatæ caliditatis sit: quæ enim medio cri frigidior aut calidior est, sibi ipsi viam occludit, vnde ne promptè penetret impedita, quos ab illo expectamus effectus egrius inducere potest. Atque hanc iterum mediocritatem in varijs corporibus, vario gradu dimetiendam existimamus: Cui enim mollis rara, laxa, & admodum sensilis caro est, is calidam iudicabit eam, cuius caliditatem agrestis quispiam duræ, densæ, ac veluti callosæ cutis vix sentiet. Sed horum & similibus quantitatem vnicuique accõmodatam verbis expromere est impossibile. Nec sat est aquam talem esse, sed & locum aut calidũ, aut temperatum esse oportet. Talia sunt balnea illa duo, hospitij quod D. Georgij nomine insignitur, & domus illorũ de Bechu. Quod si aëris lauacrum ambientis temperies talis non sit, sed potius frigida, ventis vel pluuiã alterata: quod fortasse alijs

alijs in Europæ balneis accidet, quorum fons sub dio collocatus est: Tunc in calidum cubiculum aqua deferatur tam balneo quàm embrochæ vsui futura. Si quidem in frigido aëre exui, perfundi & vestiri perniciosum est. Iam sese offert consideranda diuturna vel breuis in balneo mora. Huius mensuram nobis indicabunt virium robur, humoris præparatio, præparati & eliciendi quantitas. Atque sub virium robore comprehendimus corporis affectum, propriam laborantis naturâ, ætatem, anni tēpus, regionem, præsentem cœli statum, tolerandi facilitatē, & eius generis alia. Perniciosum enim est in balneo perseverare, donec evidentē debilitatē senserint: Hacde causa diligenti animadversione op⁹ est, præsertim vbi qui lauacro immergitur tēperamenti calidi est, aut rara, laxa, & molli carne, aut succos habet tenues: aut cōgenitâ, aut accidētariâ debilitatē patit. Quę omnia & his similia omne immoderatū vacuationis genus respuūt. Qui verò robusti, pleni, pingues, frigidi & humidi sunt: aut simili corporis constitutione, ij lōgiorē morâ patient. tertia & vltima cōsideratio corū quę in balneo sunt agēda circa eaversatur quę ægrotantē agere oportet, cui conducūt quę Hip. dixit. Qui lauat cōponat sese, taceat, & reliqua. Quibus verbis nil aliud sibi vult Hip. vt exponit Gal. quàm

» ægro nō laborādum: si quidē ægrotātis quies, vt corpus

» in balneo tū laxius, tū rarius reddatur est idonea. Nam

» cū mouetur corpus muscoli extenduntur, qui minūs

» tum mollitur, tum relaxantur. Nos qui non febri, sed

» multis, ijsdemque inter se diuersissimis cum morbis,

» tum naturis accomodatam horum vsus rationem

tradimus, non alienum à ratione putamus omnes motiones, quæ ante balneum, in ipso, & post obeuntur, affectus qualitate, & virium robore metiri. Et si quæ in particularibus inueniuntur, quæ sub ipso comprehendendi nequeant, qui illi assistet Medicus eas facile adiunget. Nobis iam ad postremam considerationem prope randum, in qua quæ post balneum sint agenda explicamus. Si cui cutis sordida sit, aut pruritu vexetur, hic statim ubi è balneo emerferit, sindone inuolutus in proximum cubiculum deferendus videtur, in quo aer calidus sit, inibi pro nitro asperis linteolis, celeriter, vndique, & multis simul manibus detergendus, atque ab his frigida immergendus: verum quia id nec omnibus, nec semper conuenit: Nos autem neque hinc, neque in alijs, ob morborum & naturarum multiplicem varietatem, in particularibus aliquid citra multas limitationes pronuntiare solemus: ne, vt prouerbio dici solet, vno calipodio omnes calceantes, Medicinæ tyrones in errorem deducamus: Censemus, eorum quæ nunc sunt agenda duos saltem proponendos esse scopos, vacationis quantitatem, & virium robur: quos qui diligenter examinauerit, quanti sit momenti Hip. dictum intelliget, quo multas aquæ misturas parandas admonet. Vbi enim plurimum vacuare proposuisti, vel ob affectus naturam, vel humoris quantitatem, vel alia de causa, & virium robur id ferre posse iudicas: Tunc ubi è balneo emerferit, non frigida perfundendus, sed calidus sindone & vestibus diligenter circonvolutus in calidum cubiculum, & calidum lectum ita deferendus est, ne ob ambiētis frigiditatem lædatur, aut quoquo pacto

eto refrigescat: ibi sudor vberimè sinendus est effluere, deinde mollibus linteolis, aut spongijs ficcis abstergendus. Atq; inter alias partes capitis exsiccâdi magna habeatur diligentia: siquidem & humidū & multarum fluxionum causa cerebrum esse solet: quibus non paruo erit nocumento, detenta recrementorū exhalatio: ob stipatam capitis cutem: quæ constipatio refrigerationem relictæ humiditatis sequitur. Demus nunc insignem vacuationem non desiderari, aut vires hanc ferre non posse, aut vtrunque simul coniungi, nempe cum virium imbecillitate, euacuationem sufficiētē: ijs proculdubio cutem contrahere, cogere & densare oportet. Nam vt rectè Galen. ait. Id ad virtutis robur

” confert, facitque vt non facilè homo lædatur, nisi subita quædam in ambiente aëre fiat ad frigidum permutatio: ob id qui rectè valent, à balneo calido sese in frigidam proijciunt aquam: sed qui ægrotant, contactum frigidæ non sustinent citra læsionem. Quapropter frigidam calidæ mistione retundimus. Mistionis autem modum inueniemus, imprimis quidem si corporis affectionem inspexerimus: deinde & propriam laborantis naturam ætatemque & anni tempus, & regionem, & præsentem cæli statum. Probè autem facient, qui à calido balneo tepidas ad minus trium generum aquas, quæ inter se differant parabunt: vt prima quidem admodum tepida sit, secunda verò minùs, & tertiam adhuc que magis ad frigidam declinet. Tale autem quippiam velle visus est Hip: cum præcepit misturas parari. Nempe quod paratur, id nō simpliciter modò multum, verum & varium multiplexq; esse est melius, vt

» paulatim à calido in frigidum procedatur, cùm subita
 » tam ad contrarium mutationem æger non ferat. Ha-
 ctenus Gal. Nos vt propositæ consuetudinis ratio-
 nem habeamus, qua omnes per sanitatem balneis ab-
 stinere uidemus, si, vt iam diximus, vacuandi quanti-
 tas, vires, aut vtrunque maiorem vacuationem non
 admittunt: cùm in frigidâ immergendus non sit: si qui-
 dem ægrum frigidæ contactum ferre non posse ex
 Galeno didicimus: saltē in lauacri proximo solo: mox
 è balneo eductum ægrum collocabimus, ibi enim aër
 calidior est, quàm in cubiculis dicti hospitij D. Georgij.
 In ibi stantem celeriter, multis simul manibus ope-
 rantibus, vndique linteis, vel spongijs abstergemus si
 sordescat cutis. Postea non frigida, sed tepida immerfis
 linteolis, vel spongijs lotum eadem celeritate perfun-
 demus, deinde iterum confestim exsiccatum, ad quie-
 tem & somnum illum relegabimus. Nam ferè omni-
 bus somnus & leuis sudor est utilis: hic quia circa cu-
 tem attracta excremēta dissoluit, ille quia spiritus cum
 calore ad interiora retrahit: sic lassitudines tollit, vi-
 res instaurat & roborat. Hoc tempore conuenit vn-
 ctio, si qua parti alicui est adhibenda, vel ex costino, lau-
 rino, & similibus oleis, vel vnguentis quod in ischiadi-
 co affectu, podagrigo, & similibus non parum lauda-
 mus. Id ipsum post Laconicū, post embrocham, post
 lutum fieri potest & debet. Extremis ita examinatis
 intermedijs rectam vsus rationem præscribere medi-
 co est facile, modò hoc, modò illud adaugens, aut immi-
 nens pro iudicantium varietate. Eadem omnino con-
 sideratio est habenda, & ineunda ratiocinatio, de La-
 conico

conico & luto: præsertim vbi vniuerso corpori admoventur, aut paulò minus quàm toti: Siquidem horum effectus quos humanis corporibus imprimere nota sunt, non multùm inter se dissimiles iam ostendimus. ob id in omnibus ferè, quæ ante horum vsum, quæ in ipso, & quæ post sunt obseruanda, conueniunt. Quandoquidè prius quàm vel Laconicũ ingrediatur æger, vel luto inuoluatur, perpendere oportet num morbus ille ex eorum numero sit, qui id requirant. Si id species morbi exigat, num vires id ferre queant: Num vacationem genera vel præcedentia, vel sequutura id respuant: Num consuetudo, & quæ sub ea comprehendimus ad hoc remedij genus iudicandum concurrant. Si ex iam dictis horum alterum vtile esse coniectaueris, opportunum vsui tempus obseruabis: nempe post alimenti absolutam coctionem, post totius euacuationem, ac post humorum educendorum preparationem. Demum nec vtendi rationem negliges, quæ vt aquæ qualitatem, sic Laconici luti & loci dimetitur: sub qua & moram comprehendimus, cuius diurnitatem, vel breuitatem à virium robore, & præparati ac eliciendi humoris quantitate iudicari diximus. Postremò vel in lecto ab horum vsu eos vberius sudare permittes, vel frigidæ, aut potiùs tepidæ perfusione, & diligenti exsiccatione sudorem sistes: prout humoris eliciendi quantitatem exigere, & virium robur admittere iudicabis, modo & ratione in balnei vsu enumeratis, & ijs præhabitis considerationibus quæ suo loco narrata fuère.

De embrochæ & potionis vſu breuis narratio

C A P. I X.



V N c de embrochæ vſu paucis agamus. Poſteaquàm aliquot dierum ſpatio balneo fueris vſus, ſi humor in vna tantum parte cōſiſtat, ad embrocham tranſeundum eſt: ſic enim vniuerſales vacuationes particulares præcedere iam oſtenſum eſt. Si cerebrum exſiccare intendimus, quod in multis accidit morbis: ſiquidem illius humiditas ferè omnium fluxionum pituitoſarum cauſa eſſe ſolet: tunc quia caput eſt irrigandū, hanc in os bregmatis inſtillare conuenit: nam rarioris texturæ eſt. Sed prius caput linteo in circulum contorto circundare conuenit. At ſi propter neruorum molliciem, paralyſim, & ſimiles neruorum & ſpinæ morbos illa vten- dum eſt, tunc in occiput aquam inſtillare oportet, nec eam partem linteo circundare, ſed ita per dorſum ſinenda eſt effluere, vt etiam in ſpinam eius virtus inſinuari queat. Eſto autem terminus vſus vbi calorem ad interiora penetrãſſe manifeſtè ſentiet. Quod ad reliqua attinet, multa à nobis de balnei vſu prolata embrochæ vſui ſunt accommodanda: ne toties eadem repetere cogamur: eadem enim qualitas eſt deſiderãda in embrocha, quæ in balneo: ne calidior, ne frigidior ſit debito, ne infecta contagio aliquo, & ſimilia. Prætereà & horam accommodatam eligendam, & roboris rationem habendam. Sic de potionem aquæ balneorum ratiocinandum, quam nec omnibus affectibus pituitoſis, nec

nec omnibus naturis conuenire iam ostensum est. Sed quibus dictum est eam vsui esse, ij debent eam in auro-
 ra fumere à minori quantitate ad maiorem progre-
 dientes, vt ab vncijs quatuor ad octo, aut secundum Sa-
 uonarolam à libra media ad libras tres. Atque in eius
 assumptione ventriculi non exiguam rationem habe-
 re oportet. Hic non omittendum est eam ad longin-
 quas regiones asportatâ in ligneis vasis, aut aliter, sua-
 rum virium maiorem partem amittere, quod ratione
 à simili meo iudicio probari posset. nemo est qui infi-
 cias eat rectè à Gal. v. Meth. scriptum esse lac Phthifi-
 cos debere ab vbere si fieri posset, suggere, aut illico à
 mulctatione fumere, priùs quàm refrigerat: non quia
 vereatur corruptionē id fit, sæpenumero etenim vno
 die seruatum lac videmus, priùs quàm ace scat: non
 itaque ob corruptionem pro maximo præcepto id ha-
 bet Galenus, sed ne euaporet innatus ille calor, non
 modò quòd ille naturam adaugeat, sed etiam quòd
 omnes lactis operationes foeliciores reddat. Sic in
 aquarum, quæ è fodinis suis calidæ exeunt, calore ipso
 quis negabit congenitam esse facultatem non modò
 contrarietatis ratione frigidis morbis accomodatam,
 sed etiam ipsius caloris ratione vim illi inesse aptissi-
 mam ad deducendas, distribuendas, ac augendas aquæ
 illius vires: at si hîc euanuerit simul & sulphuris vis,
 euanescet & aliorum omnium à quibus vim accepit
 operandi efficacia languescet. Hortamur itaq; omnes
 quibus potanda præscribetur, ad loca fonti contigua
 accedant, sed quantum ferre poterunt, calidam assu-
 mant, tum quia vehementiùs operatur, tum quòd tepi-

da ventriculi robur dissoluunt. Aquæ quantitatem ad quorundam Medicorum præscriptum iudicare non aſſim: ſcio etenim nec errore, nec culpa, nec reprehensione me cariturum. Quis enim ſanæ mentis, audebit cum Sauonarola, citra multas limitationes pronunciaré tria vaſcula eius aquæ aſſumat, deinde iterum alia tria, interpoſita breui temporis deambulatione: & ita repetitis viribus id facere non deſiſtat, donec vel per os, vel per ſeceſſum, vel vrinam ea aqua exeat adeo calida ac erat dum aſſumeretur? quod, inquit, vt meliùs ab eo cõprehendatur, in vaſe vitreo mingat. Ego multorum non ſanandi, ſed deſtruendi vetriculi aptiorem rationem excogitare non poſſem: quo labefactato, veluti & hepate, quid homini ad ſanitatem recuperandam, & retinendam reliquum ſit, neſcio. Hanc igitur Medico limitandam relinquamus, cui indiuiduum curandũ proponitur: nõ ſolum enim aquæ, ſed & omniũ medicamentorum quantitatem vrbis exactè deſcribi non poſſe iudicamus. Varium enim morbi genus, varia temperamenta, totius & ventriculi varium robur, & multa alia, variam medicamenti quantitatem exigunt & indicant.

De vicijs ratione balneantium C A P. X.



E vltteriùs quàm par ſit ſermonem protrahamus: quod multoties iã admonuimus, proſequamur. Dicebamus horum omnium quantitatem veluti ſanguinis eliciendi, præparantis, & humorem euocantis, vel alterantis medicamenti, à ſolo medico, egro

to

to assisētī dijudicari posse, haud secus ac virium robur: sic & victus ratio. Quādoquidem hanc modò vberiorē, modò parciorem indicabunt, varia dispositio roboris virium, morbi, ægri, consuetudinis, Aëris, temporum morbi, & similibus. Ex quorum diligenti animaduersione diuersissima iudicantur, vt aliquando bis in die sumendum cibum, aliquando ter & quater: aliquando parciùs, aliquando lautius aut cœnandum, aut prandendum: aut & cœnandum, & prandendū largiùs, parciùsve. Sic & alimenti qualitātē aliquādo immutare oportet, vt multūm nutriens in parum nutriens, & sic in similibus. Aliquando vel ipso in balneo, vel parū ante illud, vel post aliquid eorū porrigēdum est quæ vires statim instaurāt, quòd faciliè trāsmutentur: vt vino immersā panis buccellā, ex saccharo cōdita pignolatū manus Christi, panē dulciariū, quē marciū panē appellāt, & similia, quæ prudētis Medici cōsilio ad necessitatis exigētiā moderāda relinquūtur. Rectē igit̃ Hip. intelligamus & Galenū com. i. i. de rat. vic. Ac. sumēdi cibi horā præscribētes his verbis, Neq; cōfestim à balneo sorbendū, neq; bibendū. Addit Galenus. Sedata quæ ex balneo est turbatione: tū esse, tū bibere melius est, veluti & cōposita ea quæ ab exercitatione oritur. Nam cibus prius vel potū sumere, caput replet, deuoratumq; interdū superfluitare facit. Hęc itaq; Hip. & Gal. verba semper locū habēt, nisi vbi viriū imbecillitas ordinem præueterere nos cogit. Tūc igit̃ sumēdi cibi tēpus erit, cūm agitationē quieuisse sentiet, & concitatū balneo calorē ad natiuā tēperiem rediisse: quòd de balneo dicimus Laconico & luto rectē cōueniunt: sicut balneum,

ita illa toti admoucantur corpori, tunc enim effectus specie non multum abfimiles operantur. Cibi qualitas omnibus propositis affectibus pituitosis conueniens est extenuans victus ratio: de qua peculiaris libellum à Gal. habemus: ex quo quæ tenuandi facultate prædita sunt deprompsisse non fat est: nisi addideris ex libris de alimentis, de tribus boni & mali succi, quæ laudabilem sanguinem generare soleant. Huius generis sunt panis congruè subactus, fermentatus, salus & coctus. Aues monticolæ, perdices, phasiani, turdi, merulæ, alaudæ, capi, pulli, & similes. Deinde & pisces saxatiles admittuntur in puris & nitidis aquis per saxa fluentibus capti, qui mollem ac friabilem carnem habent. Ad hæc vinum vel album, vel fuluum, vel rubeum, sed cōsistentiæ tenuis, aut mediæ, & vt vocat, bene maturum. Ex herbis, radicibus, seminibus, fructibus, & cerealibus, quæ gustati acria, mordacia, & calida sentiuntur, tenuanti victus rationi ascribit Gal. tamen non omnibus vti oportet: Nam ferè hæc omnia sunt mali succi: poteris quidem alios cibos illis condire, veluti & pipere, & alijs aromatibus: si nil aliud obstat. Nam præparandi ratio alimenti facultatem non solum augere, sed & immutare potest. Sed hanc prætereamus, vt pote ex alijs locis petendam, veluti & seruandum in cibis ordinem: nempe liquidiora prima mensa, sicciora postrema esse sumenda, & similia. Arque ita & victus ratio, & omnia remediorum genera ab initio moderanda sunt, vt ad finem vsque singula ferre possint. At cum aqua ista statutis quibusdam temporibus, nempe vere & autumno tantum sit vsui, si temporis

poris angustia iam dictum ordinem non admiserit, in aliud tempus quod reliquum erit differendū est: Nam ad extrema properare medijs relictis perniciosissimū iudico. Siquidem non exactè vacuato humore aquam extra Burmidam scaturientem si vel sumptis, vel admoueris, eum humorem magis impinges, & contumacem curationi reddes. Sic Laconico balneo & luto maiorem eius humoris quantitatem, ad eas partes quibus hæc admouebūtur, trahes, quàm vacuabis, & alia multa incommoda sequentur. Quapropter ijs peractis, quæ tunc fieri poterunt, præscripta congrua victus ratione reliquum in ver aut autumnum sequentem seruandum est.

Breuis commemoratio varietatis curationis quæ à varietate temperamentorum, partium affectarum, & affectuum simplicium, desumitur

C A P. XII.



ACTENVS balneorum Aquensium vsu curandi rationē in sanguineo calidi & humidi téperamēti sermone percurrimus: nūc reliqua téperamēta obiter attingamus. Si frigidi & humidi temperamenti fit, ac vniuerso corporis habitu cacochimus Laconici moderato vsu deinde balnei illi succures. Roboris virium maximam habēs rationem, vt pote sine quibus vana sunt omnia auxilia. Et quæ tamen horum duorum nimio vsu, veluti &

sanguinis missione largiori, mirum in modum resol-
 uuntur, & corpus in frigidam intemperiem deducunt,
 sicque affectum adaugent. Si frigidi & sicci tem-
 peramenti sit, in omnibus ijs remedijs multò cau-
 tiùs agendum est, ne hominem in extremam siccita-
 tem, aut extremum marasimum deducamus: Nam &
 potenter exsiccant, & per exhalationem non nihil ca-
 loris imminuitur, nec in calfaciendo magnoperè ho-
 rum vim laudo. Si calidi & sicci temperamenti sit gra-
 cilis & modici sanguinis, huic Laconicum balneum &
 lutū vniuerso corpori admota summo erūt nocumen-
 to: siquidē intemperie illam augebunt, & longo vsu in
 hecticam deducēt. Sic de simplicibus intemperaturis
 quisque iudicare poterit. Age nunc esto corpus va-
 cuum & purum in vna tantum parte humor conti-
 neatur, nec alibi fouentem causam habeat. Hic solius
 in ea parte existentis humoris rationem habebimus,
 vacuatione & ijs remediorum generibus vtentes, quæ
 pedibus prædicti ægrotātis accommodabamus. Tuncq;
 multò facilior est curatio vt pote vna & simplex. Ea-
 dem ratio est quorumcunque morborum, qui à pitui-
 ta, vel à flatibus præsertim crassis & frigidis, aut humo-
 re melancholico, aut similis naturæ originem traxe-
 rint. Huius generis sunt paralyfis, conuulsio, lethar-
 gus, scabies, & similes affectus, quos proprio capite
 enumerauimus. Atque haud aliter ac qui à sola pituita
 fiunt affectus: horum balneorum vsu curantur, ita qui
 longissimè ab horum natura distant, horum curatio-
 nem non recipiunt. Haud dissimili ratione, qui non
 simplices affectus sunt, sed hos aut illos humores ad-
 mistos

mistos habent, curandi rationem & facilitatem variant, pro quantitate & qualitate humoris admitti: exempli gratia ædemas, schirrodes, ininūs alijs phlegmodes magis curationi, quæ harum aquarum vsu fit resistit, erisipelatodes omnium maximè. Nunc solius intemperie citra humorem curatio examinanda relinquitur: Nempe frigida, humida, ac frigida & humida. Frigida in quacumque parte existat, quia alijs remedijs & tutius & facilius curatur, ac multis alijs de causis balneorum vsu non exigit, præsertim cum citra noxam ob admittas alias facultates quàm calfaciendi illo uti nequeas. Adde quòd suo calore innatū dissipando, ut prius ostensum est, fortasse non minùs refrigerabit quàm calfaciat. In humida propulsanda non parum possunt præsertim aqua vltra Burmidam scaturiens. Frigidam & humidam horum recto vsu prudens Medicus poterit in meliùs mutare iam à nobis dictarum considerationum rationem habens, ac ipse alia ubique adiungens quæ veniunt consideranda. Qualia sunt supra alia indicatio quæ à partium differentia sumitur. Hæc etenim etiam eodem in affectus genere maximam remediorum varietatem suggerit. Quandoquidem in superiorum partium affectibus, si venæ sectio sit necessaria, superiores venas aperire oportet, sic in inferiorum partium sub renibus sitarum affectibus inferiorū aliqua est aperiēda. Quòd si à parte affecta vel humorē vacuare, vel reuocare tibi propositum sit, eam secabis venā, quæ per fibrarū rectitudinem illi opponitur: tractus enim per has fit, & aptior sanguinis cōsecutio. Eadem ratione in serapijs & cathar-

ticis medicamentis præscribendis affectæ partis habenda ratio est. Si quidem alia capiti, alia thoraci, alia iocinori, alia renibus, alia vtero, alia artubus, alia alijs partibus sunt familiaria. Hinc affectæ parti familiaribus vtendum commonstratur, quibus si destituamur, quæ ad affectam partem vim medicamenti deducunt esse miscenda. Sic & admouendorum eadem est ratio: Nec enim ventriculus, hepar, viscus aliquod, oculus & similes partes eadem remedij genera sustinent, quæ ignobiliores, aut sensus obtusioris. Eodem modo & loci per quem congruè & aptè ea pars sua excrementa reijcere consuevit ineunda consideratio. Quandoquidem nos oportet singularum partium meatus, qui ijs ad superuacuorum emissionem sunt idonei, & proprii fluxiles reddere. Intestinis, ventriculo, mesenterio, & concauis iocinoris, intestinum rectum. Renibus, vesicæ, vtero, iocinoris gibbis, venæ cauæ, arteriæ magne, & omnibus quæ in lumbis habentur, eum qui vrinis est delegatus. Pulmonibus & pectori ipsam asperam arteriam & fauces. Cerebro & eius inuolucris, eum qui per palatum, & per nares descendit. A qua meatuum diuersitate non modò remediorum diuersitas, sed & diuersa forma indicatur. Hinc serapia fomenta infessus clysteria, pelsi, gargarizatus, Errhina, apophlegmatismata, odoramenta, & similia inuenta fuere. Et modò huius, modò illius vsus præscribendus indicatur, adhibito eius quod cum ab affectu, tum à parte affecta commonstratur delectu. Quibus omnibus ratione seligendis, & congruè administrandis, rationali Medico opus est, cui quæ diximus haud sufficere non igno-

ramus. Pauca etenim hæc in medium afferre placuit,
 non quò vniuersam hocce affectus curâdi methodum
 aperirem, id enim alterius & grauioris est negotij: sed
 ne enarratio hæc potiori & digniori parte penitus de-
 stituta, in vulgus prodiret, quædam dicere ag-
 gressus sum, quibus ita repetitis vicibus sese
 annexuit oratio nostra, vt veluti
 equus quidâ effrenis verborum
 consecutione deducta,
 hætenus cohi-
 beri nõ po-
 tuerit.

I iij



LIBER TERTIVS
 TOTIVS ORBIS BAL-
 NEORVM VIRES, ET
 MVLTORVM HI-
 STORIAM COM-
 PLECTENS.

C A P. I.



ERTIAM NOSTRI LABO-
 ris partem aggredimur: opus
 sane vt difficile, & obstrufum,
 fic omnium calumnijs obno-
 xium. Naturæ secreta omnia
 rimari eft impoffibile: fenfuū
 cognitionem transcendere ci-
 tra exactā methodum per dif-
 ficile: aliorum relationi femota probatione credere, du-
 bium, & erroris plenum: experientia quæ alij fcripfe-
 re ad examen reducere non conceditur. Quid num
 ob id res tanta, tam vtilis, à tam multis expetita inter-
 mitteretur: minimè. Quini mò aliorum etiam mendacia
 recensuiffe non erit inutile: fic enim Medici eruditi qui
 illis præfunt balneis, aut aliquando eò accedunt, mor-
 talium.

talium miserati conditionem, aut ipsi aliquid verioris scribēt, aut nostris scriptis id addent. Nobis omnia balnea visendi facultas denegatur. Sed cum Aqueusia viderimus & descriperimus, visum nobis est tertiam hanc partem subnectere, quæ omnium aliorum naturam, sordinam & usum aperiat. Qua in re si aliquando à fida narratione deflectimus, ne nobis vitio vertatur: siquidem aliorum verba & scripta sequuti sumus. At si hæc excusatio non plenè satisfacit, vitio vertatur Valerio maximo, Tito Livio, Platina, & similibus Historiographis quod infinita scripserint ex aliorum narratione. Quid queso Avicennæ, quid Aetio, quid Pauli, quid Plinio reliquum erit, si aliorum scripta ab illis subtraxeris? Sed prius quam illam partem aggrediamur, facultates & vires recenseamus oportet, eorum ex quibus sordina constitui potest: à qua scaturiens aqua varijs facultatibus prædita conspicitur: ob eorum per quæ permeat varietatem. Quandoquidem undecim esse didicimus, quæ aquæ è terra erumpentis vim illam *ἄρωσιον* Græcis dictam immutare solent. Sulphur, Alumen, Sal, Nitrum, Calx, Gypsum, Bitumen, Aes, Ferrum, Plumbum, & Aurum. Quorum omnium facultatem seorsim recensebimus: nam si compositum compositæ naturam redolet: nemo unquam dubitabit, quin

horum præcognita facultas aquarum, quibus

immiscentur, vires edoceat. Et ad

illarum demonstrationem tan-

quam principia seu

media sint affu-

menda.

De Sulphure

C. A. P. II.



SULPHURIS substantiam descriptione aperire superuacaneum existimo: siquidem nemo est, cui audito sulphuris nomine res non innotescat. Nec etiam illius varietates Pliniū sequutus, quadrimembri partitione secabo: imò ne bimembri quidem: vnicum enim sulphur est metallicum medicamentum in terre visceribus natum. Quod si ignem non sit expertum, *ἀπυρον* Græcis dicitur, id est ignis expertus. Latini viuum sulphur appellant. Cùm verò igne fusum, & veluti coctum in terebrem formam redigitur, tunc malè quibusdam sub altero genere à Dioscoride collocari videtur. Scribit enim, sulphur optimum existimatur viuum, quod *ἀπυρον* vocant, nitedulæ modo splendidum, perlucens, minimè calculosum. Probat in genere sulphuris ignem experti, quod viret, ac præpingue spectatur. Vnica igitur specie res est, quæ coctione vt vires, sic differentiam diuersam assumit. Viuum enim id est ex fodina sua desumptum & citra coctionem Medicinæ vsui accommodatum, multò efficacius operatur, & isto prococto vti deberent Pharmacopæi. Tenuis substantiæ est, calidum & siccum, cui abstergerendi, trahendi, & digerendi tanta facultas inest, vt aduersus è toto corpore irrupentem scabiem, obseruatis vniuersalibus præceptis, nullum præstantius medicamentum inueniri queat,

queat, præsertim si qui vtitur frigidi & humidi temperamenti sit, & scabies humida. Quartum caliditatis & siccitatis gradum attingere scribit Auicēnas, quod Musæ falsum videtur: siquidem eo gradu calida venena esse censet, nec per os sumi debere præcipuè cochlearis mensura, quam Dios. præscribit: ob id illud tertio collocat gradu: maxima autem & incredibilis illi vis tribuitur à Mercurio Trimegisto, à Raymundo Lulio, & alijs Alchimiſtis ad metallorum & aliorum commiſtionem iuuandam, & absoluendam. Vnde ipsum in metallorum cōstitutione masculi feminiſtæ inſtar, mercurium fœminei concurrere aſſeruerunt. Vnde de eo Theophrastus magnus magis artiſicioſè quàm eleganter quædã protulit, quæ quia ad id quo de agitur, ſummoperè conferunt, ea recenſebo: ſunt autem illius verba hæc, cùm de ſulphure agit in libro de mineralibus. Sed obſeruandum quod ſumus eius indicat terreſtrem ſubſtãtiam: in ipſo eſſe valde ignibilem & cremabilem, fœtor verò ſuus indicat ipſum valde indigeſtum & non terminatum: ſed potiùs calore corruptente eſſe corruptum, quàm digeſtione completum. Et hæc ſui incompletio facit quòd poſſit eſſe vniuerſalis materia omnium metallorum. Si enim eſſet completum ad completionem vnã determinatè: tunc proculdubio non eſſet cōuertibile ad alia: niſi primò illa tolleretur: ſed nunc propter ſui incompletionem, cōuertibile eſt ad omnia: ſicut ſemen, & alia ex quibus generãtur res nature. Et ideo ſagax natura abundat in ſulphure vbi cumque eſt locus generationis metallorum, fuitq; metallorum opinio nullas Thermaſ, quæ calidæ tactui eſt ter-

ra scaturiant sulphuris expertes esse posse, quod calorem à sulphure accipere credantur.

De Alumine CAP. III.



ALUMINIS naturam trimēbri partitione contentam indicamus, in Alumen Rochę, Plumę, & rotūdum: quę in fodinis inter metalla inueniuntur. Quibus ad exactam Aluminis cognitionem tria alia addi possent, Scaiolę, Catinę, & Zucarinum: quorū duo postrema nō legitima, sed spuria & factitia sunt: nempe alumē Catinę & Zucarinum. Nil aliud est alumē, vt Plinius cap. x v. lib. xxvi. censet, quā̄m salugo terrę. Est enim veluti terrę aqua & limo exudātis natura hyemē corriuata, ac estiuis feruoribus ad maturitatem deducta. Multa illius genera fatetur Dios. sed tria tantū̄ vsui Medico opportuna scribit. Alumē Rochę liquidum à Dios. vocatur, nam cum defoditur, liquidum est, postea durek it: argumento eidentissimo est, quod supra alia genera siue igni, siue lucernę illud adinoueris, statim ebullire & dissolui videbis. Alumen itaque rochę à loco in quo coagmētatur appellari cēsemus, liquidum à forma, quāuis & integrum reperiatur. Probatur hoc si sit limpium, lacteum, æquale, & semper succo madens, sine lapidibus, atque quendam coloris igniculum expirās. Secūdū̄ genus cui Plumę nomē daturā vulgus coaptauit à Græcis *σχιζόν* vocatur, quod fissile latine sonat: dicitur & *τροχύτες*, hoc est capillare, quod sigillatim in capillamenta quędā̄ facile ex solo contactu findatur. Optimum est candidissimum, gustu perquā̄m astringens, graeco-

græueolens, calculorum expers, nec glebulosæ, nec assu-
lose compactum, sed sigillatim in capillaméta quædam
canescétia dehiscens. Illud est cuius aspersione intolle-
rabilis prurit⁹ excitatur: cuius affriétu genæ rubescúr.
Vnde floré lapidis rectè mulieres appellârunt. Nâ pro-
priè quidâ canus flos ex lapide exiês videtur. huic simi-
lis est amianthus lapis, nisi quòd multis ligneis venulis
distinguitur, atque ambo flammam facile concipiunt,
conceptam citra consumptionem retinent: non ta-
men æquè, sed magis amianthus. vnde impostores qui-
dam cuculati pro ligno crucis, cui Saluator infixus
pependit, illum plebi venditare non sunt veriti hoc ar-
gumento, quòd non comburatur. Quasi verò ne-
cessum sit crucis illius lignum vstioni obnoxium non
esse. Tertium est quod non arte, sed suapte natura ro-
tundâ formâ accepit, bullis turgês, albo propius: atque
validiùs astringês, prætereâ non nihil palloris cū quadâ
pinguitudine præ se ferês, sine arenis, friabile. vocatur à
Græcis *στρογγύλη* καὶ *ἀσραγαλώτη* denominatione sumpta à
dicta forma rotunda. Vim habent astringédi vehemen-
tissimam: vnde Græcis *στυπτηρία* nuncupatur, quod astri-
ctoriũ latinè sonat, ex calfaciédi & expurgandi. Crassa-
rũ sunt partiũ omnes Aluminis species, tenuius est si si-
le, pximum rotũdum, alijs crassius est liquidũ, seu Alu-
mè Roche dictũ, & plinthites. Atque hæc tria sunt, que
nostro proposito conueniũt. Cũ etenim sola hæc in
fodinis reperiantur: ipsa sola aquæ sponte nascenti im-
misceri possunt. Alumen scaiole in Gipsi mæsis inue-
nitur lucens sicut vitrum, latum & tenue, nec in capil-
lamenta dissoluitur vt Alumè Plumæ, sed in laminas.

vnde non, vt Pandectarius existimauit, $\sigma\chi\acute{\iota}\sigma\upsilon\mu$ Galeni est, sed potius plinthites, hoc est laminosum. I X. Simp. Breuiter est crudi Gipsi exquisitissima pars: vnde ab antiquis flos Gipsi appellari videtur. Alumen catinæ factitium est, sic dictum vel à Catino in quo fieri solet, vel à cali herba, Arabibus dicta, ex qua componitur: quæ vsnem species esse dicitur secus maris littora nascens. Et ab aliquibus gentibus seminatur, vt in Gallia fit. Hanc herbam exsiccatam accipiunt & comburant. Postea ex illo cinere lixiuum fit: quod si aut vi ignis, aut solis induruerit, cum subtiliores partes exhalant, id, sal alcali appellatur. Cinis verò ille induratus alumen Catinum dicitur: quandoq; & sal, & cinis permiscentur. Hoc vtuntur Chimistæ, vitreolarij, & mulieres ad faciem abstergendam. Alumen etiam Zucarinum factitium est, ex alumine liquido, aqua rosacea & albumine oui massas quasdam turbinatas in modum globorum sacchari fingentes, à cuius formæ similitudine nomen accepit. Habet & albedinem exquisito saccharo, quod finum dicimus, non absimilem.

De Sale

C A P. IIII.



ALIS naturam prima partitione, bimembri diuisione secamus. Alius enim ex aqua concrefcit. Alius ex terræ fodinis eruitur: atque ex aqua itidem vel marina, vel stagnorum quorundam, vel etiam puteorum, vt
in

in Germania. Fit autem Sal ex horum consumptione, vel solis calore, vel ignis, donec tenuiori parte absumpta, quod terreum solum est remanserit. Cumque ijs aquis artificij aliquid requiratur, vt in salem conuertantur, sub hoc partitionis membro sal alcali dictum non temere reponemus. Quandoquidem arte fit ex herba cali combusta, quæ Vfnæ herbæ assimilatur. Ex pluribus alijs herbis, & carbonibus, ac lignis varia salis genera apud diuersas nationes fieri creditur. Qui vero ex terræ fodinis eruitur, fossile appellatur: in multas diuisus species. Quarum aliæ nominibus quibus à seinuicem seiungantur, sunt destitutæ. Aliæ vt facultate, ita nominibus à seinuicem secernuntur. Vnde, Sal saxeus, Sal gemmæ, Sal hammoniacus. Hoc sale fossili in seu metallico in Germaniæ & Pannoniæ plurimis locis vescuntur. Montes vsque ad duo miliaria in profundum excauant, sursum ingentes salis massas funibus trahentes. Saxeus dicitur hic sal & marmoreus, quòd tantæ sit duritiei, vt ferreis pistilis opus sit vt teratur, optimè tamen salit. Probat in hoc genere, qui candidus, pellucidus, & densus. At qui candidissimus in hoc genere, valde lucidus & densus inuenitur. Sal gemmæ appellatur, quoniam exigua portione supra alias massæ partes vt gemma nitet. Hammoniacus vero non in eisdè fodinis eruitur, sed sub arena in Africa apud Ammonis oraculum, à quo nomen sortitum est. Et in Cirenaica regione. Ibi arena defossa vbi loca sitientissima sunt, frustra salis oblonga, extra nigra vel eruginosa, intus alba, & ad similitudinem aluminis scissilis non multùm lucentia, inueniuntur. Hic adeò

falsus est, vt ingrato sapore gustanti fit fastidio. Ex
 Germania simile genus portatur. Condiendis cibis
 inutilis est, at in balanis nō nunquā vlui, vbi acriorem
 vim requirimus. Reperio & alia tria genera, quæ sub
 fossili non reponuntur. Sal indus, Sal nitrū, & Sal Na
 phticus. Indus in India in cannarum extremitatibus
 zuccaro cando similis concrefcit. Sed cū eius facul
 tas proposito sermoni nō quadret, de illo nil dicemus.
 Sal nitrum, inter salis genera enumeratur: verū nos
 de Nitro peculiari sermone differemus. Sal naphhticus,
 Asphaltites Plinio, Galeno sō dominus dictus, quōd na
 phta asphalti specie separata fiat. Et ex mari asphalti
 te iuxta Sodomos montes sito, in Palestina Syriæ. Is
 tamen non fossilis, sed marinus est dicendus. Sal ab
 tergit, liquat, incidit, tenuat, mordet, purgat, densat,
 adstringit, siccatur, reprimit à putredine: ob hæc vindi
 cat: ventriculum euertit, turbat, ad vomitum incitat,
 purgat humores crassos, lentos ipsos vi sua liquando.
 Postea stringēdo appetentiam excitat profligato cibi
 fastidio, purgantibus additus actionem eorum iuuat,
 clysteri iniectus pituitam vitream & lentā educit. Hos
 tamen vel illos effectus alius alio remissiū intēsiū ve
 operatur: cuius varietatis gustus certum feret indicium,
 si prius in IIII. lib. Simp. Galeni fueris exercitatus. Hoc
 tamen non omittendum, quōd salis è terra effossi sub
 stantia magis sit cōpacta, ac proinde in hoc maior est
 & partium crassities, & adstringendi potentia. Ob id
 quōd marinus affusa aqua protinus liquefcit, at fossili
 hoc nō euenit. Porro eiusdem speciei cum marino est,
 quæ ex stagni, fontis vel putei aqua concrefcit.

De nitro CAP. V.



NITRVM de quo mentionem facere propofiti est instituti, olim è terræ fodinis eruebatur. Atq; vbi illius magna est copia, si fcaturiât, aque nitrosæ vocâtur. Et illis sæpenumero innatat spuma nitri Græco nomine aphronitrum appellata. Olim cùm mortalium sanitati conseruandæ vsui esset, sub terræ latebris ineffossum non totum relinquebatur: nunc verò proh dolor, cum eò cecitatis deueniret humana conditio, vt ferè omnes magis opum & famæ aucupandæ, quàm sanitatis conseruandæ sint studiosi, Balnea & gymnasticæ scholæ diruta perseverant: Nitrum non solum effodi, sed & cognosci à fodinarû effossoribus desijt. Atque in ipsius nitri locû successit salmitrû Italici, salpetre Gallici dictû vtile ad laudatissimum, si Dijs placet, inuêtum non ad strenuos & potètes viros conseruandos, sed nulla difficultate enecâdos, & vrbes depopulâdas. Id etenim est sine quo neq; cû strepitu, ita neq; cû violentia è bellicis tormētis globuli emitterētur. At etiâ si antiquorû nitrû defierit videri, non tamen atq; nitrosæ: vnde illius vim ex antiquorû sentētia aperiēdam iudicauimus, vt nitrosorum balneorû vis facilius cognoscatur. Est itaq; Nitrum calidû initio tertij gradus, siccû tertio, salsum maxima sui parte, subadstringēs, tergit, incidit humores crassos purgat etiâ vomitu, præsertim eû melle & pituitâ crudâ. crassâ, létam partib⁹ valèter impactâ: obid colico affectui pituitoso & flatulêto pdest, vermes necat & vacuat. Si intrò in corpus sumat, secat, extenuat,



crassos lentosq; succos potētius multò quàm sal. Quin & aduersus fungorum strangulationes præsentaneo remedio est.

De Calce

C A P. VI.



CALX iuxta antiquorum præscriptum duorum est generum, vna fit in locis maritimis. Buccinarū testas feruenti clibano recondunt, donec inalbuerint:frigida immergētes extinguunt,in fictile conijciunt, & vsui feruant. Sed hæc proposito sermoni nil congruens habet. Altera lapidea est Italię, & multis alijs nationibus operi cæmentitio frequentissima. Durissimum quoddam lapidum genus seligunt, quod & super terram inuenitur & effoditur:in fornacem cōijciunt, coquunt, coctione calx viua appellatur, vis illi ignea, mordens, adeò exsiccans & calfaciēs, vt inflammare, adurere, & cauterij instar crustas inducere possit. Veneni malitiam habet, siquidem pota aluum & intestina cum vehementi erosione excruciat. Dum aqua irroratur, vrentem illam vim exerit:adeò tenacis est substantię, vt post immersionem & extinctionum vim suam vltra diem seruet. Deinde vnà cū calore mordacitatem extitit. Absque morsu resiccat, ac si bis terque aut amplius abluta fuerit, planè mordacitatis expers constituitur:ac strenuè absque mordacitate exsiccatur. Vnde fan-

sanguinem cohibere, carnem producere, adustioni mēderi, & similia præstare potest *δ'ις δ'ις τω ασων*, vt dici solet ab ijs distantia, quæ viua aut in ipso extinctionis actu poterat.

De Gipso

CAP. VII.



IP S V M terræ massa est notissima, quæ in laminas pellucidas diffringitur, quarum puriores & magis perspicuæ sunt alumen scaiolaræ, & plinthites Galeno dictum, vt priùs, vbi de alumine docuimus. Coquitur, & coctū cēmētio operi veluti calx accōmodatur, sed huic emplastica vis maior. Refrigerat & siccat vltra secū dum gradum, vim maximam habet adstringendi, obstruendi, glutinandi à vi emplastica. Hinc sanguinis eruptiones sudoresque cohibet, sed potum strangulationis modo iugulat.

De Bitumine

CAP. VIII.



SP H A L T O S Græcis, Latinis Bitumen spuma quædā est aquis sponte nascētibus innatans: & molle quidem est dum innatat, postea verò resiccatur pice sicca durius efficitur. Optimum bitumen in mari, quod mortuum vocant prouenit. Est autem id stagnum salsum in

L

cæle, hoc est, Cana Syria. Ceterum medicaminis ipsius vis est tū resicatoria, tum excalfactoria in secundo ordine. Merito itaq; eo vtuntur ad glutinationes vulnerrum cruentorū, & ad alia omnia quæ exsiccari debent cū modica excafactione. hæc Galenus. Sunt qui etiā ē montibus quibusdā bitumen putent scaturire, & idem in lacubus vt limum inueniri, præsertim in lacu Iudæe. Et ideo Galen⁹ primò eius meminit, quod in Apollonia Epiri vrbe fit, sub quo etiam Iudaicum intelligit. Postea de eo quod in Cana Syria differt: hoc autem in ri mortuo nasci inquit. Mare autē mortuum nuncupatur lacus ille. Mare ob falsedinē, mortuū ob minimum motum. Qui nuper terrā sanctam descripsere, Iudæe lacum & cæle Syriæ idem faciūt. Strabo libro xv i i. sūe Geographiæ Sirbonis lacū vocat ambitu mille stadiorum, longitudine ducetorum. Hoc in lacu Sodoma & tredecim vrbes huic vicinæ submersæ fuere, picis odorem refert: & id est quo Syriaci pauperum mortua corpora condiunt, vt imputria diu feruentur. Id deinde ad nos adfertur, & à nostris Mumia vocatur, cū sit asphaltum Iudaicum. Ditiorum verò corpora Balsamo, Myrrha, Croco & ligno aloës condiunt. Scribit Dios. in Sicilia in agro Agrigentino liquidum bitumē fontibus supernatare, quo incolæ ad lucernarum lumina vice olei vtūtur. Et Sicilicū oleū falsò appellat, quadoquidē liquidū bituminis gen⁹ est. A nostris Petroleū & sterc⁹ diaboli appellat: obmirū illi⁹ fœtorem. Hoc partim ex Sicilia agro illo Agrigentino, partim ex Liguria, partim ex loco in Neapolitano agro, vbi vulgò dicitur il tocho: ac potissimū ad nos ex hoc loco adfertur

tur, & Sicilicum alijs minùs foetet. Petroleū verò quia è petra scaturiat, & faxosis mōtibz vocatur: à quibus deinde in fontes aut vicina flumina defertur. Pharmacopæi sæpenumero petroleū hoc, idest bitumen liquidum, igne vel sole induratū pro asphaltu seu bitumine vendunt: & est non tamé Iudaicum. vis omni bitumini inest discutiendi, glutinandi, emolliēdi, calfaciendi, & exsiccādi, vsque ad tertij gradum, si Auicennæ credimus. Quia Galeno non dissentiet, si in fine secundi, vel initio tertij calfacere & siccare id dixerimus.

De Aere CAP. IX.



AERIS substantiam nulla descriptione aperiendā iudicamus vt pote omnibus notam. Vt ferūt: si ijs citra demonstrationem fides est habēda, inter metalla argenti viui plus quàm oporteat habet. rubeum colorem ex sulphuris abundantia commitione accepit. Siquidem hoc rubore delinitur ex valida substantiæ sulphuris sæculentæ adustione. Argumento est quòd ab ære multum facis resoluatur, & in igne multū euaporet. Vim illi tribuūt calfaciendi & exsiccandi, etiam in tertio gradu: abstergeri, resoluendi, incidendi, & astringendi, imò & carnem producēdi, si vratur & lauetur. At de vsto veluti nec de eius flore & squamma nil dicere statuimus, quia proposito sermoni nil congruit.

De Ferro

CAP. X



FERRVM metalli genus vilissimum mortalium vsui tamen, ipso auro magis necessarium: siquidem sine ferro nec terrá possemus fodere, nec arare, nec segetes colligere, nec triticum molere, nec vitem, nec arborem amputare, nec ædificare, aut similia humanæ vitæ necessaria agere. Ferro imperia conseruantur & augentur, iustitia regitur, tuetur innocentia, reproborum audacia coercetur, ciuitates defenduntur, inimici propulsantur. Sine ferro nulla ars, nullum ferè opus mechanicum exerceretur. Minori in pretio habetur, quòd maiori quantitate inueniatur, & impurius sit: Nam scribitur ipsum generari ex argéto viuo terrestri, ponderoso, lutulento, valde immundo, & ex sulphure terrestri ac immundo, ipso sulphure dominante. Propterea est inflammationi paratum. Atque ex huius virtute conuertitur argentum viuum in ferri speciem. Porro propter sulphuris adustionem squamosum est, rubigenemq; facile contrahit. Pars sulphuris terrea atramentosa est. Propterea limatura eius confert nigredini atramenti, nec ab humore vnctioso est purgatum: vnde calorem facile suscipit, & susceptum diu retinet. Præterea argumento est multa scoria, quæ ab ipso deciditur, atque eò maximè quòd frequenter, vt quædam graua nigra in terram effunduntur. Hinc fit, vt non liquecat vt cætera metalla, sed tantùm mollescat

lescat. Quod illi inesse existimatur, quia supra alia metalla terreæ substantiæ plurimum habeat: aëre humidæ & aquosæ quàm nimium. Vnde hac sua terrea & elementari siccitate tãtam acquirit duritiem, vt instrumentis ex eo confectis alia metalla domet, concutiat, dilatet, & comprimat. Hinc ferrum à ferio dictum volunt, quòd alia omnia ferire queat, à nullo autem diuersi generis melius quàm à seipso ferri. Vel vt Isidorus ferrum, quia farræ id est femina nostra arado iuuet. Durius redditur extinctione in aqua, quare si mollius desideras, oleo semper candens extingue. Chalybs autem ferri alia species non est, sed eius subtilior pars & aquosior per destillationem à ferro seiuncta. Quæ vi ignis purior, candidior, durior, & operibus aptior redditur. Est autem maximus delectus in chalybe optimo conficiendo cum aquarum, tum modi immersionis. Est autem ferri vis, quam hinc confideradam suscepimus, talis. Refrigerat, vt quidam volūt, secundo gradu, siccatur tertio, vehementer astringit. Sic chalybs & ferri squama ijs minùs scoria. Vnde aqua in qua horum duorum alterum cãdens immersum fuerit, vsui Medico est frequentissima ad desiccandum, astringendum, & humorum defluxum à quacunque parte prohibendum. Quinimò & intestinorum in Scrotum delationi, quam Enteroceli vocant, irrigatione cum spongia summo est remedio.

L. iij

De Auro CAP. XI.



VRVM metalli genus hominum opinione pretiosissimum, & veluti ferrum, id est ex quo infinita fieri dicebamus: sic aurum, id est sine quo nihil excellentissimum fieri potest: & propter quod non turpe à malis hominibus perpetratur. Vnde Vergilius sic cecinit Aeneidos III.

*Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?*

Atq; cur cæteris anteponatur metallis causam non video, nisi quod rarius inuentu, & purioris substantiæ est: adeo vt neque rubigine, neq; situ obducatur, neque vi ignis multum consumatur. Nil autem aliud est aurum quam argentum viuum purum, condensatum, purissimam sulphuris partem actu recipiens. Magna est auri varietas non specie, sed perfectione tantum seivicta. Rarus est illius in re Medica usus, nisi fortasse quibusdam ad melancholiam propellendam, non, vt Auic. scribit, in puluere redactum & haustum, sed magna copia muneri datum. Quæ etenim, quæ lo, ratio, cur cor & animalé facultatè exhilarare & iuuare debeat, cum ex argento viuo & sulphure constet: quorum vtrunq; haustum veneni naturam refert? Plinio & alijs quibusdam placuit, eius puluere vlcera puerorum, fistulas, & lichenas sanare, quod cum minima mordacitate exsiccet, & abstergat. Ad id tamè & efficaciora minoris pretij habent. Definant igitur Medici nostri temporis destillatis aureos coronatos incoquere, nisi putent

tent sudores & sordes manuū eorum, qui eos cōtrectā-
runt, ægrotantibus esse auxilio. Siquidē coctione nil
aliud ex illis deciditur. Quod si quidpiam decidit, & id
sicut cætera metalla perniciosam naturā habebit. Præ-
terea in eo principiorū mistio firmior est, quàm quæ
à calore nostro possit dissolui.

De Plumbo
CAP. XII.



PLUMBVM Facultatis est refri-
geratoriæ, siquidem non modò mul-
tam habet substantiam humidam à
frigore congelatam coactamque, sed
& aëriam, paucam autem terream.
Igitur quod plurimum habet essen-
tiæ humidæ à frigore coactæ, indicium tibi esto: quod
vbi admotum est igni, celeriter fundatur fluâtque.
Quod verò & aëriæ sit particeps, hoc habeto signum.
Omnem quæ nouimus, vnicum plumbum tum mo-
le ipsa, tum pondere augetur, si condatur in ædibus
subterraneis, aërem habentibus turbidum ita vt quæ-
cunque illic ponantur, situm colligat. Multa alia
Galenus adfert argumenta: quibus hanc
eius facultatem prober. Quæ
omnia breuitatis studio
omittimus.

De Balneis, & primò de

Balneo Aponi

CAP. XIII.



LTALIA omnium aliarum regio-
num olim princeps & domina, Vene-
tias habet florentissimam ciuitatem,
quæ Reipublicæ libertate, & ordine
cū Romana illa republica certat: huic
subdita est proxima ciuitas primùm Antenorea dicta,
nunc Patauium, vel Padua. Quæ vt illa omnium mer-
cium, sic hæc omnium virtutum totius Europæ em-
porium est luculentissimum. In huiusce vrbis Dice-
cesi septem sunt balnea Aponi, Sancti Petri, domus no-
uæ, Montis Grotti, S. Barpholomæi, S. Helenæ, Mon-
tis Orthonis, Imprimis igitur de Aponi Thermis di-
camus. Rus est Aponus dictum à Padua quinque fe-
rè milliaribus distans. De quo Lucanus,
Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens Aponus, terris ubi fumiger exit.

In huiusce ditione in partibus à ciuitate remotioribus
versus montem S. Danielis nomine insignitum, è pla-
nitie monticulus quidam leniter effertur, in cuius sum-
mitate scaturiens aqua iam multis sæculis feruentissi-
ma est inuenta. Locus hic procul est à vallib⁹, feracibus
campis vndique circūdatur, sub dio expositus, quaqu-
uersum detectus, vndique à quatuor calis partibus or-
tu, occasu, septentrione & meridie æqualiter distatur.

Loci

Loci huius situs monticulis saluberrimus iudicaretur, nisi aquarum hincinde emanantium riuli sæpenumero putredine correpti, foetidis vaporibus aërem inficerent. Præcipua lauacra humano vsui accommodata sunt, in cacumine môtis lacuna quædâ aquæ adeo feruentis, vt sæpenumero non sit vsui, siquidem intensa illius caliditas nequit tolerari. Deinde in infima môtis parte quæ orientem spectat, multa adfunt lauacra à diuersis riulis constituta: remisso iam ex eò itinere aquæ feruore. Omnes tamen illi riuli ab eodem fonte eructant. Atque ex ijs lauacris quædam vndique parietibus munita seruantur, alia in propatulo exposita venti & plebi peruia relinquuntur. In huius balnei fodina explicanda, velut & aliorum omnium cum ex mea experientia, vt in Aquensibus feci, nil dicere possim, ne temerarius aut parum spectatæ fidei lectori videar, nominatim meos authores recensere: vt quisque quæ illos fide dignos putat, eam illis tribuat. Aut sapientius multò agat, cum balneo erit vicinus, diuinum imitetur Galenum, qui simplicium medicamentorum facultates ex aliorum & sua opinione recensere non fuit contentus. Sed priùs quinque libris edocuit ad id demonstrandum accommodata principia ex sapore, odore, colore, & alijs quæ aut sensui aut intellectui ita sunt manifesta, vt ipsa ex alijs fidem non accipiant, sed ipsa alijs fidem faciât. Cumque Aristoteli primo posterioris resolutionis, tria sint principiorum genera, Proloquia, postulata, & definitiones. In hoc demonstrandi genere, quo rerum facultates Medicæ explicantur: etiam si principia, quibus vtimur, dignitatũ & definitionum

nomen omnia non promereatur : nemo tam é erit, qui
 inficiari possit, quin maxima illorum principiorú pars
 certissima & verissima Medica postulata sint vocáda:
 Quòd si quispiam tam delicati palatij est, vt etiam hoc
 cognitionis genus à demonstrationis nomine reijcien-
 dum putet, is se nihil scire fateatur, is methodicam &
 λόγικην, hoc est rationalem Galeni viam relinquat. Pei-
 roneorum sectæ seipsum deuoueat: aut si id auerlatur,
 credat Aristoteli scribenti per causam remotam effe-
 ctus demonstrari, & ex effectibus causam demonstra-
 tione, qua rem sic se habere demonstramus. Et tali do-
 cendi genere in philosophiæ secretis peruestigandis se
 vsurú præfatur, in initio libri primi Naturalis auscultat-
 tionis, dum à notioribus nobis cognitione exordien-
 dá scribit. Siquidé paucissima demonstratione quam
 obrem aliquid fit ostendente, explicari possunt. Nec
 nobis videtur tam accómodata, vt illa, quòd ab ijs quæ
 nobis ignotiora sunt, initiú sumat. Sed vltérius quàm
 par sit sermo noster diuagatus est. Huic sermoni suus
 erit locus in libris demonstrationum, quas in medendi
 Methodum paramus, vbi eorum inscitia detegetur, qui
 nullum aliud eruditionis genus esse existimârú, quàm
 multas authoritates memorię infixisse. Nos postquam
 iam quinquennio Logicá professi sumus in hac nostra
 Taurinensi ciuitate, nostri muneris arbitramur osten-
 dere, qua in caligine versentur, qui citra exactam Lo-
 gices exercitatione in Galeni operib⁹ versantur, admo-
 nitionis ipsiusmet Galeni toties repetitę immemores.
 Quiigitur volet alicuius balnei fodinam scire, non mi-
 hi, aut alijs legislatorum ritu fancientibus, non demon-
 strantibus

frantibus credere debet. Sed discat capite penultimo à me, aut ab alijs, propositas fodinæ examinandæ methodos, deinde in quibus volet balneis certam nancisci cognitionem eas exercebit. Verùm ad fodinã thermarum Aponiam nos tempus reuocat. Scribit Barptolomeus Montagnana vir magis laboriosus quàm eruditus, per causas, & per effectus illi innotuisse, vel à priori, & à posteriori, vt ille scribit: aquam illam sulphureã esse quidpiam immistæ calcis habens. Sux opinionis nullam aliam rationem adfert præterquàm quod facta per ipsum eius aquæ destillatione maximam fæcis seu residentiæ sulphur esse inuenit, parum verò cineris, velut si calx in aqua coqueretur. Sauonarola autem, qui Patavinus erat, aliter sensit, & varijs rationibus nec parui momenti suam sententiam confirmat: scribens gustu aquam hanc salinam & aluminosam comprehendit: & visu sulphuris ac cineris portionem aliquam. Siquidem in eius progressu per riuulos quosdam lapidosos ab eius fæculenta parte productos maxima comprehenditur eius pars aluminosa & salina: parua autem sulphurea. Nam color croceus sulphur eius licet superficialis, ijs in locis si capperet, veluti in Iride comprehenditur, in qua croceum, rubeum, viridem, cæruleum conspiciamus. Quòd si maior fodinæ pars sulphurea foret, cum sulphur multa tenaci & viscida substãtia supra cætera mineralia abũdet, color citrinus appareret: quod tamen falsum esse in hac aqua, ipso visu iudicatur. Præterea cum sulphuris odor, aliorum mineralium odore magis foeteat, & peius oleat, odoratus sensu comprehendetur: at is eo loci non percipitur. Nam in balneis in qui-

bus sulphur ita reliqua vincit, vt ab eo denominationē accipere debeant: duo hæc conspiciuntur, color citrinus, & odor sulphureus: vt in balneis de Petriolo, Siculis, & cæteris talibus. Qua de causa balnea illa non esse sulphurea asserit, sed aluminosa, plus etiam salis quam sulphuris habentia, ob idque eas vires & facultates habere, quas in horum simplicium viribus recensuit: ex quibus infert eos perperam celsuisse, qui existimauerunt ea à prædominio sulphurea esse. Deinde addit, fuit aliquorum opinio balnea omnia Paduana eiusdem esse fodiens, quam non accuso, cum omnia ferè sibi inuicem propinqua sint: & quasi vno aspectu participatia. Nam ea salia, nitrea, partim gipsea ac cinerea pronuntiauerunt omnia. Etiam semper recolendæ memoriæ vir doctissimus ac propè alter philosophus Ioannes de Dódis Patavinus iuxta balnea motis Groti, & balnea S. Petri, de quibus infra domum construxit, ac instrumenta præparauit: vt ex ipsa balnearum aqua salem albisimum conficeret, & in quantitate notabili. Quod opus efficax argumētum fuit: vt sic opinaretur balnea illa cinere ac sale, & Gipso participare. Nā (vt dictum est) nitrum naturam salis sapere videtur & cinis, cum ipse cum aqua salem conficiat. Adde præterea quoniam videmus in balneis sic sulphureis ingeniari homines sulphur conficere: vt in Petriolo, & in balneis Siculis. In his autem hoc minimè fit, aut fieri potest: quoniam si id fieri possibile fuisset: virum tãti ingenij opus hoc non latuisset. Et quoniam vt ex sententia Arist. dicebatur, omnia talia aliquali sulphure participant: & etiam hæc aqua Aponi ab eo nõ omnino vacua est: nec tamen

tamen in sapore sulphuris comprehendetur. Sed cum sulphure sic participet, facile sic mihi persuadeo ipsam magis aluminosam esse. Habet & aliquid calcis, quoniam calx, ut dictum est, species est cinerum. Verum cum multo colore citrino, ac odore, & sapore sulphuris omnino priuata sit, arbitrordicendum nequaquam à prædominio sulphuream esse. Nam in sulphureis à prædominio hæc tria reperiuntur: ut in balneis Petrioli & Siculis est videre. Præterea cum sulphur multum habeat de vntuoso & aëreo: ut de ipso dictum est, aliquid ipsius in superficie aquæ comprehenderetur: quod in igne missum arderet, ut in cæteris talibus, quod minimè in ea reperitur: ipsa enim clara est, & ab omni vntuositate & citrinitate purgata. Quibus relinquatur salia & nitrosa, ut sapor eius manifestat. Aluminosa magis, ut in riuulis comprehenditur. Cinerea ex adustione & à sulphure ut cæteræ non absoluta. Et huius opinionis visus est esse Gétilis, sed de hoc magis infra in de balneo montis Groti. Hactenus Sauonarola, cuius non solum sententiam, sed & ipsa verba recitare voluimus: ut quãti sint ponderis, quisque iudicare possit. Porrò in hac opinionum varietate Galeni rationalem viam aggredi oportet: vniuersales methodos, quas nos peculiari capite recensimus, ediscere: deinde in particularibus aquis, quibus es vsurus, eas exercere. Quibus in morbis sint vsui hæc Aponi thermæ nunc tacebimus, ne eandem rem decies repetere cogamur, & omnem methodum præuertamus. Recensimus igitur vno in loco, qui morbi à sulphureis iuuari possint, qui ab aluminosis, qui à nitrosis, & sic in cæteris, & sulphurea, alu-

minosa, aliâque breuiter repetêtes nominabimus. Sic enim non solum hæc narrabimus, sed quantum rei certitudo admittet demonstratione stabiliemus.

De Thermis sancti Petri
C A P. XIII.



DICTIS Aponi thermis orientem versus ambulanti ad miliaris distantia rus aliud sese offert pulcherrimū, situ & fertilitate gratum, è cuius orientali planitie alius monticulus ad medioerem altitudinem sese offert. In huiusce montis cacumine aqua feruentissima scaturit orientalem & septentrionalem oram versus riuulos trās mittens. Atq; ciuitatem versus palus est rotunda, eas aquas omnes in seipsam recipiens, & earūdem caliditatem conseruās. Locus hic incolis iucundus & saluberrimus foret: nisi vt in Aponi balneo aqua illa corrumpereetur, & corrupta aërem inficeret. Augetur etiā hæc aeris insalubritas collium multitudine, quibus vndique locus ille occupatur. Sunt autem hæc balnea aluminosa & salsa multū, quorum virtus narrabitur vltimo capite, vbi de omnium virtute differemus.

De Balneis Dormus nouæ
C A P. XV.



B hoc sancti Petri balneo meridiè versus ad semimiliaris distantiam progredienti, alius sese offert monticulus iā dicto paulò altior, è cuius occidentali & aquilonari

nari regione aquæ eructant, præsertim in aquilonari parte maxima copia scaturiunt, admodum falsæ & feruētes, & in planitiē decidunt vndiq; monticulis & valibus obfitam, fossis, paludibus, fontibus, ac riuulis tam frigidæ quàm calidæ occupatam. Huius aquæ falsæ nō exigua porrio in domum Io. de Dondis Philosophi Patuini à paucis annis eius iussu cōstructæ defluens inibi colligitur, & in salem Philosophi illius Domini Cariensis, ac aliorum industria conuertebatur, aut in ipsa, aut in lacunis illi vicinis. Locus ille ob vaporum multitudinem, varietatis aquarum commistionem, & aëris exiguam diffationem insalubris iudicatur. Ab hac domo domus nouæ appellationē balneum accepit. Est autem aqua hæc falsa admodum, aluminis plurimum, calcis & cineris vt reliquæ aliquid habens.

De Balneo montis Grotti

CAP. XVI.



SVPRADICTO Balneo continuo meridiem versus itinere, à balneo Aponi ferè duobus miliaribus oppidum inuenies, cui ad occidentalem partem mōs est amœnissimus, quem cum ob balnea, tum ob aëris serenitatem ægrotantes frequentant. Vnde monti & oppido corrupto nomine montis Grotti appellatio est indita, cum mons ægrotorum sit dicendum. Locus iste procul ab occidente orientalem partem spectans, à meridionali contegitur: alijs salubrior iudicandus, quòd

orienti sit apertus. Non procul ab oppido mōs est supradictis altior, è quo multi diuersarū aquarum riuuli hinc inde emergunt. Magnus quidam prope oppidi templum præterlabitur, in plures diuisus partes pluribus sufficit lauacris cū occultis, & cōtectis, tum delectis, & sub dio in propatulo expositis. Huic alius vicinus est aquæductus orientalem magis oram versus, à quo prope prædictum lacuna colligitur, quâ balneum equorum appellant. His locis finitima quàm plurima adsunt lauacra, à diuersis fontibus aquam recipientia. Huius fodina vt reliquorum Patauinorū balneorum est aluminosa, salsa, gipsea, cineris non expers: verum supra alia hæc montis Grotti balnea aliquid sulphuris accepere: Cuius portio & vis tanta est, vt sulphureorum vis illis sit attributa, præsertim illi fonti, à quo balneum equorum appellatum emergit.

De Balneis sancti Bartholomæi

CAP. XVII.



PADVA ad duodecim miliarium interuallum olim edificatum fuit templum cum xenodochio diuo Bartholomæo dicatum, à quo hæc thermæ nomen accepere. Locus ille inhabitatus est, nisi religionis, aut morborum causa cō concurratur. Collibus vndique cingitur, nisi qua meridiem spectat. Ab horum mōtium lateribus varijs
in

in locis aqua emanat, in planitie paludem constituens, nullo vt alia Patauiensia lauacra substratam pauimento, sed lutosam adeò, vt parum tutū sit cœni mollitiei & profunditati sese committere. Siquidem molle admodum est, pingue, ad nigredinem declinans, adeò vt pix liquida videatur. Aqua ipsa vix duorum pedum altitudinem superat: hyeme & vere calorem adeò remittit, vt vix à Iunio mense ad medium Septembris vsui esse possit: ita tamen vt nò modò presentis, sed & præteritæ temporis constitutionis rationem habeamus: Quandoquidem inundantium aquarum copiam situs ille facile recipit, à quibus vim suam immutari necessum est. Quare omnibus temporibus non vt aliorum balneorum aqua calfacit & exsiccat, sed humectat. Siquidem non vt in cæteris alumen & sal reliqua superant, sed Bitumen, deinde sulphur, nec tamen alumine, nitro & sale carent. Quòd autem bituminis & sulphuris vis aliorum mineralium facultatem vincat, vel hoc vno argumento est manifestum. Quòd omnes qui de eo scripsere, non modò lutum, sed & aquam lentam, crassam, & tactum mollificantem fateantur. Atque in modis, in schirris, & induratis neruis, vel partibus tantæ virtutis scribitur, vt supra omnem hominum opinionem ea mollire possit. Quæ omnia cum illis tribuant omnes scriptores; qui fieri potest vt aluminis astringentia vis superare dicatur, cum illi contraria nempe mollificans insit.

De Balneo S. Helenæ
CAP. XVIII.



APATAVIO miliaribus septem, ab Apono tribus distat balneū quoddam, cui à diuæ Helenæ templo denominatio est indita: cuius tēpli vix veteres quidam superstunt parietes, in summo colliculi cuiusdā positi, vndique collibus quasi vallo vallati. Emergit autem aqua hæc ab occulto fonte ex eaquæ orientem spectat huiusce montis parte, lauacra constituens: quorum vsui domus est ædificata, satis quidem superbi ædificij, sed parum commodi situs. Apud hunc montem qua meridiem respicit, stagnum est, aërem putridis vaporibus inficiēs, & locum insalubrem reddens. Horum fodinam quidam sulphuream esse volunt ab ipsius caliditate persuasi, a luminis & cineris nō expertem. Alij verò aluminosam cinere, sale, nitro, participantem. Nam sulphuris hæc quantitas, vt aiūt, neque visu, neque gustu, neque odore percipitur: sed in hac ea conspiciens, quæ in balneo Aponi. imò & caliditatis gradum eundem factō periculo inuenēre: vnde quæ eò loci scripta sunt, satisfaciēt: ibi etenim hæc cōtrarietas agitata est. A quam tamen hanc illa potentiūs aliquantisper calfacere, exsiccare & resoluerē putant.

De

De Thermis Montis Orthoni

CAP. XIX.



B Orthono viro Patauino armis, & rerum gestarum fama præclaro, montem quendam nomen Orthoni accepisse ferunt. Hic mons in medio multorum collium positus est: quorū duo scriptorum beneficio insignes sunt:

ex vna parte mons rubeus, vbi olim Euganeam ciuitatem ædificio & opibus superbam triumphâsse legitur: ex altera mons sancti Danielis, tunc Deæ Cereris templum cognominatus: qui montes à Septétrione & occidente ab his lauacris aëris iniurias arcent. Qua verò orientem & meridiē spectant nil obuium habēt, quod flatus intercipiat. Ab hoc Orthono monte aquæ scaturiunt calidissimæ, à quibus in planitie his montibus contigua paludes collectæ sunt, aquas, lutum & facultates habentes, non multum absimilem à balneo S. Bartolomæi. Locus hic inhabitatus omnino perseverâset, nisi à paucis annis Patauini Virginis, (vt fert) apparitione commoti Diuo Augustino tēplum cum Augustinianorum collegio consecrâssent. Aër ibi impurus est, inficitur enim ab illis stagnis. Hæc aqua lenta & viscida est, sulphur, Sal, & alumē habet. Diurnis morbis à causa frigida & humida, veluti nodosæ arthritidi, duritiei splenis, hydropisi, & similibus morbis præsentaneo est remedio. Sed hæc præter institutum: his etenim enarrandis suus seruatur locus.

De Thermis Porretensibus
CAP. XX.



IN Italia in comitatu Bononiēsi à Bononia summi pōtificis ciuitate opibus & ædificijs superbissima, quadraginta miliaribus distāt quædam balnea, quæ della Porreta vulgò dicuntur. Horum scaturigo à duob⁹ saxis est & lasis montibus ad medriiem situatis: quorū in medio, vt aiunt, falis riuulus amplus est: & per duos canales duorum montium aqua sic defluens balnea duo cōstituit: vnum à dextris, alterum à sinistris. Ex sinistro versus orientalem plagam fumi exeunt, & vapores clari, ad rubedinem vergentes: Locus ille siluestris est alpibus Pistoriensibus propinquus, ob quarum viciniam ad eò alget aër, vt vsui esse nō soleant, nisi à x v. Iunij ad primam Septembris. Harum fodina aluminosa est, & parum sulphurea, salis, & nitri nō expers. Nec vt fodina hæc, si charum virtus multum ab Aponi balneis disidet: nisi quòd hæc remissioris est caliditatis. Vnde si quæ eo loci dicta fuère perlegeris, non solùm harum naturam contemplaberis, sed & eorum opinionem, qui inibi sulphur reliqua vincere existimârunt, erroneam iudicabis. Est autem de ijs balneis inueterata quædam persuasio, quòd virtutis sint admirabilis, ad eò vt nullum non morborum genus ex horum vsu profligari ferât. Atque cum id manifestis qualitatibus acceptum referre nequeant, ad occultam proprietatem cōfugiunt. Sed

Sed nos breuitatis studio his errorib⁹ confutãdis proprium referuamus locum, eo capite, in quo docebimus quinam affectus ab horum vsu curari possint, & à quibus. Sine cuius diligenti cognitione inutilia sunt quæcunq; hætenus diximus, & dicentur.

De Thermis Romandiola

CAP. XXI.



ROMANDIOLA Italiae regio est à veteribus Flamminia vocata, cuius vrbes sunt Ariminum, Cesenna, Rauenna, & Ferraria. In hac Romandiola castrum est illorum idiomae *santa Maria* in bagno nuncupatum: huic castro finitima sunt tria balnea sibi iuicem ad eò contigua, vt ab eadem scaturigine emergere videantur: siquidẽ illa solus lapideus paries dispertit. Primum balneum de Turri dicitur. Secundum balneum medium, vel alijs suo idiomae *el bagno de poltroni*: quòd scilicet nebulones, segnes & ignaui soleant scabie & pustulis vexari. quibus curandis hoc medium balneum accommodatissimum existimatur. Tertium balneum *dominarum* vocatur, quod aduersus vteri affectus, quibus matronæ plurimum angitur solent, miros & incredibiles effectus præstare credatur. Fodinã harum thermarum sulphuream esse scribitur, ferri ac æris nõ expertem. Sunt tamen qui velint balneum de turri di-

ctum sulphureum esse & aluminosum. Balneum verò medium magis aluminosum quàm sulphureū, & temperatæ caliditatis. Calfacit autem vsque ad tertiu gradum, etiam si ferri frigiditate remittatur. Siccandi autem vis caliditatem æquat, vel potius superat. Sed hæc ex Sauonarola, cuius errorem in limitandis ordinibus vltimo capite discutiemus.

De Thermis Urbis Lucæ

CAP. XXII.



VCA Italiae ciuitas Tuscorum mediterranea à fortunatis distans gradibus triginta tribus: tria habet balnea, de Torfeno, Rubeū, & de villa. Torfenum rus est à ciuitate quindécim miliaribus distans, ibi finitimus est fons, à quo duo lauacra emanant, pariete quodam à seinuicem seiuncta: quorum vnum scaturigini proximius calidiorem aquam continet alterum remotius minùs calidam, vt diuturnior in eo mora cõtrahi possit. Aqua hæc limpida admodum est, tactu calidissima, omni extraneo sapore ac odore carens: quia illius loci incolæ, panẽ pinsunt, carnes decoquunt, veluti de aqua Balneorum Aquesium, libro primo narratum est. Eorum quæ illa aqua cõficiuntur esus sitim inducit. Qualis sit huius fodina parum inter doctos conuenit. Gentilis ipsum sulphureum, aluminosum & nitrosum esse pronuntiauit. Vgolinus verò de monte Catino, cui huius.

balnei vsus multum familiaris fuit, ipsum scribit aluminosum & salgemosum, ita ut vnum alterum non superet: pauca aut minima sulphuris quantitate participantem. At in harum opinionum varietate veritatem discernere balneo assistenti non erit difficile, si eius non sit inscius methodi, cuius meminimus, dum loqueremur de Aponi balneis. Iuxta balneum hoc sudatorium adest ad preparandum lauacro corpus accommodatum, aut detergendis a balneo cutis recrementis. Secundum balneum rubeum nuncupatum extra circuitum villae est. Cuius fodina aenea est, parum aquae habens, & exiguae caliditatis, quam calfacere oportet, si vsui esse debet, nunc nullo habetur in pretio. Tertium balneum de villa vocatur, a Torfeno miliari distans. Lauacrum est in putei formam, in quo solum tres personae stare possunt. Eius fodina ferrea est, debilis actionis, dulcis aquae instar illud esse asserunt. Ob idque rarus est illius vsus veluti & rubei. Affirmat tamen aduersus a validam renum aut hepatis intemperiem foelicissimum esse illius vsus, & id sitim tollere, cuius inducendae & augendae vis, alijs est indita.

De Balneis Pisarum

CAP. XXIII.



PISA Colonia & ipsa in Thuscorum tractu, vrbs est clarissima. In huius ditione quinque sunt balnea, balneum vetus, Saniae, Sanorum, Reginae, & balneum de aquis. Balneum vetus est inter ciuitatem Lucam, de qua supra, & Pisarum,

iuxta montem sancti Iuliani: reliquis celebre magis & vsitatum. Ex isto cōstituitur & aliud balneum, dominarum nuncupatum. Huius fodina aluminosa est, sulphuris non expers. At cū in valle sit paludosa multū & cœnosa eò confluunt aquæ aliæ, quarū permissione earum vis & effectus retunditur: præfertim vbi aquarum inundat copia: quod balneo S. Barptolomæi & alijs pluribus contigit. Secundum balneum Sanix dictum, vehementer sulphureum est. Tertium sanorum nuncupatum, quod etiam sani sepe in eo lauetur, vt primum vtriusque est particeps aluminis & sulphuris. Balneum Reginae dictum aliquanto interuallo ab istis seiungitur, ab vrbe tribus miliaribus distat, muro vndique cingitur. Huius fodina ferrea est aluminis aliquid habens. Ab isto ad trium miliarium interualum, apud templum vbi conuentus est fratrum de Agriano, in vallibus & paludibus situm est: balneum quoddam aquæ frigidissimæ. Cuius fodinam marmoream hoc argumento asserunt, quòd montes illi marmorei sint. Huic vim inesse ferunt steriles mulieres prolificas reddendi: verū non est in vsu, nec, mea sententia, esse deberet. Quintū à ciuitate sexdecim miliaribus distat, Lauacrum est amplum: aqua limpidissima, fundus arenosus. Fodina ferrea & aluminosa. Non absimile multū est à balneo Auinionesi in comitatu Senarum: de quo pòst dicemus, illo tamen minùs calidum est, scaturit enim à substantia rariori. Summa animaduersione dignum est huius aquæ qualitatem ita aliquando immutari, vt toto illo anno non solū inutilis, sed & nocua reddatur. Id ab incolis discēdum, qui id discernere, vel

vel ex hoc vno indicio nouère: quòd eo anno Martio, & Aprili mensibus multùm turbetur, & croceum recipiat colorem, à quo Aeneá tunc quidam iudicârunt. Atque id nõ solùm huic, sed & multis alijs euenit. Qua de causa memoriæ est infigendum, & à Medicis balneo vicinis, aut, si desint, ab incolis scrutádum, priùs quàm illo vtaris.

De Balneo Volaterrarum

C A P. XXIIII.



VOLATERRARVM ciuitate miliariorum sexdecim distátiam plu ad rima sunt balnea, arte lauantium commoditati & securitati fabricata: siquidem locus is sterilis & inhabitatus est. Ex ijs balneis tria sunt ab eodem fodinæ genere emanantia, nempe ab alumine multo & pauco sulphure. Extra murorum ambitum balneum aliud adest fodinæ ferreæ. Ab hoc loco ad duorum miliariorum distantiam ingentia sunt stagna Lacones à populo vocata: in quib⁹ mirabilis ebullitio, ascéndentia que superficiem vsque cum rumore & impetu corpuscula conspiciuntur. Admiratione dignum est, quòd ferant tot tamque malignos vapores ab his exhalare, vt illac volâtes aues in illos cadere & comburi cogatur. Vim referunt salis, aluminis, & sulphuris, addeò vt ex eis aquis, fiat sal, alumen, & sulphur magna in quantitate. Quo argumento colligit Saonarola

cos falli, qui sulphur in multis balneis reliqua superare affirmant, etiam si in illis nec manifestè videatur, nec ex illis confici possit.

*De Thermis Senarum fama
illustrioribus*

C A P. XXV.



IN eadem Thufcorum Italiae regione, Senarum vrbs est, quæ olim respublica, à paucis annis suorum ciuium discordia amissa libertate iugo Cæsaris parer. Ab hac ciuitate miliaribus quindecim distat castrum quoddam, à quo balnea de Petriolo illi finitima denominationem accipere. Hæc sunt ceteris excellentiora: Quarum fodina sulphurea est multum & aluminis particeps. Sulphuris quantitatem non exiguam esse argumeto est odor sulphuris, qui ad medij miliaris interuallum sentitur, & innatans sulphurea & vinctuosa spuma, quæ igni iniecta ardet. Vnde asserunt ea, etiam quantum calfaciendi & siccandi ordinem attingere, potenter humiditates dissecare, extenuare & resoluerè. Non procul ab hoc balneo flumen præterfluit Farina nuncupatum, cui vicinum est aliud balneum exiguæ caliditatis: in quo qui à mirioribus ad potentiora progrediuntur primum se lauant. Huic & aliud propinquum est aque non calide, sed tepidæ, in quo cucurbitulas, & aquas vulgus eornetas appellat, imponere solent, vnde nomè balnei Cornetarum sortitum est. Qualis sit horum duorum fodina,

dina, nec ex aliorum relatione, nec ex mea experientia compertum habeo. Est & balneum aliud non procul ab his lapidea testudine opertū, caliditatis adeo intensæ, vt vix tolerari possit. Huius fodina ferrea est, & sulphurea, à quibus calfaciendi potenter, magis adhuc siccandi vim accepit. Ab isto aliud constituitur detectum remissionis caliditatis, ob idque accommodatius. Antè iam dicta balnea quatuor balneum quoddam reperitur mediocriter calidum, à quo tria exeunt Epistomia irrigationibus accommodata. Cadit autem aqua hæc ipsum in lauacrū, & ab his qui se lauant, sic eodem tempore recipitur: Sulphurea multū est, ob idque calfaciens & inflammans: nec à balneo de Petriolo virtute plurimū differt. Non procul ab isto huius portio in domunculam quandam defluit, itineris longitudine remisso calore, irrigationibus accommodata: quarum gratia domus illa constituta est. Porro ex altero pontis latere sunt fœminis dicata, earundem cum præcedentibus facultatum, hac de causa Dominarum balnea nūcupata. Ultra flumen ad sexaginta passus aliud balneum est, quod Caldenarum appellatur, lapidea opertum testudine: cuius aqua clarissima, eius fodina ferrea & aluminosa. Vnde temperatè calfacit, sed vehemēter exsiccat. Et his etiā duo sunt balnea: vnum viris, alterum mulieribus constitutum. Est & aliud balneum prope Petriolum, Aqua Borla nominatum, quæ aqua nitrosa adeo est, vt alium facile subducat. A Petrioli castro quinque miliaribus distat balneum aliud de Macereto vocatum, cuius fodina sulphurea est, non tamen adeo vehementer ac balneum de Petriolo, & eius aqua lon-

gè clarior. Est & aliud iuxta ciuitatē Rapolani dictum, fodinæ multum sulphuræ à balneo Petrioli facultate non multum differens. Est & aliud de Auinione dictum, ab vrbe viginti miliarium interstitio seiunctum, fodinæ ferreæ & aluminosæ, nonnihil æris habentis. Cuiusvis eadē erit quæ balnei Regina, sub ditione Pisana: crassioris tamen substantiæ est: ideo suas vires illo tardiùs & ægrius imprimet. A ciuitate decē & octo miliarium interuallo apud Rodocophanū balneum aliud est, cui à sancto Philippo denominatio est indita. Eiusdem fodinæ cuius balneum de Petriolo, si Gētili credimus. Leuior tamen tenuioris essentiæ, nitri plurimum habes: vnde minus illis calfacit, sed plus exsiccat. Hinc in cerebri affectibus ad humorem frigidum, humidum, & crassum extenuandum, dissecandum, & dissoluendum illo aptius est. Nec prætereundū huius aquæ vim aquarum inundatione, & ventorum aucta agitatione immutari. Alia adhuc multa in hac Senarum ditione inueniuntur, sed fama & hominum opinione excellentiora nominasse sufficiet.

De Thermis Viterbij

CAP. XXVI.



ITERBIUM à Desiderio Longobardorum Rege vltimo conditum fuit, quo significatur superba structura. Iacet hæc vrbs inter Phaliscos, sed ij hodie in Thuscorum nomen cōcessere. In huiusce vrbs comitatu decem sunt insignia bal-

balnea. Quorum excellētissimū est balneum de Grotta dictum, miliari à ciuitate distans, testudine lapidea tectum, fodinæ ferræ & æneæ. Nam eius aquæ color ad auri colorem declinat, vnde illam auri vim habere arbitrantur. Sapore autē percipitur æris gustus, hinc eius fodinæ particeps iudicatur. Deinde quòd illius portio aluum soluat, sale vel nitro expertem non esse colligunt. Limpidissima est, gustui adeò delectabilis, vt nulla noxa ingenti quantitate nonnunquam ab ægrotis bibatur: Maximam siccandi & astringendi vim habet, vnde relaxatis membris robur addit. Præterea ratione nitri leniter resoluit, superflua recrementa consumit, calfacit, & sitim inducit. Adeò tenuis essentiæ est aqua hæc, vt cum in vasis exportatur, etiam bene obthuratis, eius vis euanescat. Aliud est balneum valis kaym appellatum, quod alio nomine balneum Dominarum dicitur. Calidissima est magis quàm hyeme æstate antiperistasis ratione: vt puteorum aquis accidit. Illius fodinam aluminosam & æneâ magis quàm ferream scribunt, calidam, siccam initio quarti ordinis & aluminis ac ferri ratione multum astringentem. Tertium balneum cruciatorū nominatur. Epistomia habet irrigationibus accommodata aqua in Lauacrū decidente. Hanc sulphuream asserunt, nec ferri ac æris est expertis. Præcedenti crassioris essentiæ est & calidior, quòd calor substantiæ insit crassiori. Quartū balneum Bulicani appellatur miliari à Viterbi distans: temperatè calidum est, aluminosum & ferreum, exsiccat quidem at citra calfactionē. Ferunt hanc aquā (mirabile dictu) colorē auri, auricalchi & stanni per vices recipe-

re. Quintum est balneum de Buffetis vocatū, sulphureum & ferreum. Sextum est balneum de Palatijs dictum, aluminosum & sulphureum, alumine superate. Vnde vt qualitatibus, sic virtute balneo Montis ægrotorum sub ditione Paduana similis est. Præter has manifestas qualitates, à tota substantia, aut si maius, à forma illius aquæ illam speciem constituyente: illi tribuunt occultas qualdā proprietates aduersus iecoris affectus. Vnde Lepram, scabiem, & similes cutis sceditates hepatis vitio genitas, supra alia curare creditur. Septimum nominatur balneum S. Mariæ in Felice, sulphureum & ferreū est, aqua lenissima: caloris sui impressio sua uis adeo, vt multi hac de causa balneum suaue denominarint. Octauum Prati dicitur, sulphureum sed leniter. Ad dissoluendos flatus præsertim vteri iudicibilem facultatem habere creditur. Nonum Paganelli appellatur, aqua limpida est, ac ad varios effectus bibitur, præsertim ad appetentiam roborandam. Etiam si multorum opinio ferat hoc, velut & cætera iuxta Bulicanum scaturientia balnea, aluminosum & ferreum esse: tamē ex effectibus suis soluendi, aperiendi ac abstergēdi colligit Saouarola, nitri, salis, & aluminis, magis quam ferri participem esse. Decimū A sinele balneum appellatur, aquæ limpidissimæ. Cuius fodina, vt quidā aiūt, Aenea, & sulphurea est: æris tamen vi superante. Atque cum inter scriptores parum conueniat, cuius fodinæ sint hæc balnea, operæ pretium erit consilium nostrum sequi, quod de balneis Aponi agētes proposuimus, & penultimo capite declarabimus.

De

De Thermis Aſculi

CAP. XXVII.



SCVLVM Vrbs in Picano; quod hodie Marcha Anconitana dicitur, vno gloriatur balneo sulphureo sed parū; & aqueæ humiditatis plurimū habete. Vnde leniter calet, & sulphuris effectus egrè imprimit. Quare inutili illorum gloria omiſſa ad alia properemus.

De Thermis Urbis veteris.



URBS vetus inter Thuſcos poſita caſtrum habet S. Caſſiani nomine appellatum: iuxta quod caſtrum ad ſemiliaris diſtantiam nouem ſunt balnea omnia fodinæ aluminofæ, & ferreæ ſuperante alumine. Primum eſt balneum della terra. Secundum balneum Caldaia dictum, quòd primo calidius ſit, ad eò enim calidum eſt, vt in eo minimam moram ferre queant. Tertium ſanctæ Mariæ dicitur, valde calidum eſt & ſiccum. Quartum balneum de Caldagna appellatur, calidum vehementer & ſiccum. Lingulas habet ſeu Epistoſia, quibus ſubſtrati ægrotates irrigantur, diu tamen eam irrigatione ferre nequeunt, ob aque intèſam caliditate. Quintum Fincelle ſeu della Figarella nominat: hoc teperate calidum eſt. Sextum balneum Grottæ. Septimum ſancti Georgij, calidum quidem, ſed magis ſiccum. Cui hæc præcipua attribuitur facultas, quòd vulnera & vlcera inueterata glutinet. Octauum Poin balneum appellatur, calidum, tenuis eſſentiæ, ſudores ob id prouocans. Nonum

est balneum de luto dictum, cuius vires potissimum sunt aduersus vlcera sordida, & difficilis glutinationis, nodositates & neruos contractos, Sed hæc suo loco. Scribunt oportere patientes in illis stare per mensem cum dimidio & vsque ad duos. Omnium horum balneorum aqua clarissima est, & bibitur, & ex eadem clisteria fiunt. Quæ actu calidiora sunt, putat Sauonrola alijs plus aluminis quàm ferri habere: sed & his discutierendis suis seruatur locus.

De Thermis Perusij
CAP. XXVIII.



PERUSIVM siue ~~perusina~~ Pthol. ciuitas insignis in Tuschorù regione collocata, vnicum habet balneum Montis alti nuncupatum: viribus admodum imbecille. Eius aqua nigra, foetida hinc frigida, sulphuris & asphalti aliquantulum habet, estate incalescit: aduersus affectus ab humore frigido & humido genitos valere existimatur.

De Thermis Montis Catini
CAP. XXIX.



ASTRVM est à Monte Catino denominationem sumens, iuxta quod miliaris interuallò aquæ salæ ingens est copia, ibi balneum vnum erat, olim viribus & ædificij superbia laudatissimum

datissimum, illud hominum fama, hoc ruina docet. In
 co aqua salia dulci permista colligitur, sed exigua quan-
 titate. Huic vicina palus adest, circa cuius ripas nasci-
 tur Tamariscus magna in quantitate, cuius vsu incolæ
 afferunt, in iuncturarum doloribus iuamentum sen-
 tire. Aliud ibi est balneum bipartitum, vna eius parte
 foeminis recipiendis, altera viris affabre cõstituta. Por-
 rò Florentina Respublica tertium ædificauit locum
 anno M. CCCXX. non hominum salutis, sed salis stu-
 dio. Cuius elaboratione reliquere post aliquot annos
 re ipsa edocti, impensam salis prouentus excedere.
 Hæc aqua bibi potest, vt Porretensium balnearum.

*De thermis Terræ laboris Neapolitanis de
 Agnano dictis*

CAP. XXX.



TERRA laboris Italiæ portio, multis
 nominibus beatissima, inter Latium
 & Calabriam sita, quæ olim Campa-
 nia dicebatur, cuius vrbes sunt Neapo-
 lis, Capua, Cumæ, Theanum, Sueflu-
 la, Atella, Nuceria, Aduersa, & aliæ
 complures: decem habet balnea, quæ nullum non mor-
 bi genus propellunt: iactatur hoc vulgò, velut & scrip-
 ta in marmoreis lapidibus insculpta designatas olim
 fuisse illorum vires, sed Medicorum (si Dijs placet)
 astu elisas: ne illis inconsultis vsui essent. At verum
 ne id sit, parum angor: illud meme magis torquet.
 Quòd tam celebrium balnearum fodinam à nemine

descriptam inuenire potuerim. Vnde præter solitum & propositum ordinem cogor particulares effectus illis attributos afferre: ne ieiuna omnino & sterilis sit de tam illustribus balneis suscepta narratio. Verum qui illis vsurus erit, longè certius hanc facultatem discet, si quæ duobus vltimis capitibus proposuimus, sequatur, quàm si nobis aliorum dicta narrantibus crediderit. Primò hypocaustum ibi adest, angusto loco camera-
to, vbi statim sudor elicitur. Ante ipsum lacus est ranis & anguibus, abūdans, in quo non nascuntur pisces. Huius fodina ignota est, at ex effectibus & fodinis finitimorum cognosci potest: siquidem cum illæ sulphure participant, & hanc sulphuris expertem non esse arbitrandum est. Aduersus hypochondricos dolores, scabiem & alios cutis effectus plurimum potest. Aliud nominatur sulphureum, dolori capitis antiquo, lachrymis compescendis, acuendo visui, dolori ventriculi, scabiæ, & sterilitati est accommodatum, si horum causa fuerit humor pituitosus. Ferunt eius vsu febres & rigores sanari: quod non credo. Tertium de bulla dicitur capiti oculis, hepati, spleni, & vtero vtile. Quartū Astrane appellatur, cuius decidēs in caput gutta *εμβρο-
χι* Græci vocant, catharro seu destillationi, & patientibus oculis confert, ventriculi fastidium tollit, appetentiam prouocat, pulmones tussi fatigatos, pectus, & raucedinem lenit. Quintum de Iuncare dictum, iuxta littus maris positum est: vetriculum & hepar roborat, cor & animum exhilarat, suspiria tollit, gaudia inducit, & alacres homines reddit, renes roborat, & coitum excitat, ferunt eius vsu febres curari, etiam vehe-
men-

mentissimas ac malignas:quin & heclicas primæ & secundæ speciei:quod creditu perdifficile est. Aliud est iuxta littus maris Locus appellatum, fons est paruus, sed viribus ingens adeò, vt de eo literarum monumentis proditum sit, à quocunque morbo, à quouis dolore, à qua voles angustia, loci aquam liberare. Capiti, oculorum fluxionibus, caligini, suffusioni, ventriculi coctioni, & renibus consumptis subuenit. Et multa alia operatur auditu miranda, vnde Neapolitani hoc præcæteris colunt & extollunt. Porrò prætereundum non est, quò de balneantibus sic scribitur, vt patiens illic se credat esse Deum. Est enim aqua suauis, tepida & corpori multum grata. Septimum balneum de tripta appellatur, iuxta maris littus existens, eius aqua calida non est, sed dulcis, quæ bibi potest. Potata ventriculi & hepatis debilitatem tollit, hydropicis nocet, pulmonem læsum sanat, & tussim mitigat, ac aufert. Aliud est Petra dictum, quoniam petram hoc est calculum frangit, omnes capitis molestias propellit, surditati, oculorum caligini, suffusioni succurrit: pectus & cor roborat, vrinæ meatus aperit, arenulas eijcit, lapidem, si calida bibatur, frangit. Nonum Colatura vocatur, cor exhilarat, pulmonis affectus & tussim à fluxione tollit, eandem si sæpe bibatur prohibet, in ventriculum & coctionem roborat, appetentiam excitat. Decimum Laua-
 crum nominatur, confert
 spleni ac eiusdem du-
 ritiei & iecori
 subuenit.

*De Balneis Siciliae**CAP. XXXI.*

INSULA Trinacria plura habet balnea diuersis sita locis, inter quæ vnum reliquis excellentius, paulò altius reperitum sermonem exigit. Hac in insula mons est Gemmarum dictus, palmis fœcundus, in cuius ima parte vbi est Sacha nomine. Mons iste à summo ad imum vsque cauernosus, receptacula maxima & anfractus horrendos habet: in quibus olim malos dæmones habitasse ferunt, & finitimis incolis plurima intulisse damna. Quod Diuus Petrus dum Christianã legem orbi promulgaret, intelligens, Calogerum Paulum, & Iorlandum, ac alios quosdam Christi discipulos eò transmisit. Calogerus in peculiare domicilium locum illum elegit, & ad corporis mortem vsque retinuit: expulsis in nomine Domini malis spiritibus. Eò concurrebat populus non solum vt animi sanitatem reciperet, cogito vero Messia, sed & corporis: cum id in primitiua Ecclesia propagandę fidei primum & maximum testimonium fuerit: non solum Christo consuetum, sed & suis sectatoribus præcipuis concessum. In cacumine huius montis antrum est angusto admodum ostiolo. Speculuncam hanc intus sedilia hincinde intus coronant, commoditatis gratia constituta. In medio puteus est ab imo ad summum montis vsque protensus: vbi aqua scaturit calida, sulphurea, & ferrea, à qua sursum la-
ti

ti vapores antro hypocausti humidi nomen tribuunt. Ad montis radices emergit hæc eadem aqua. Ibi laucra sunt constituta, viris seorsim, seorsim mulieribus sic brutis. Persuasit sibi gēs illa probum illum virum, in eo antro orare solitum fuisse, & illis lauari aquis, sicque non solum à fodina & natura illis hanc inesse virtutem, sed & diuinitus acceptam putat. Auger & retinet hanc hæresim, quod singula hypocausti sedilia, singulis morbis constitutá dicant, ea lege, vt tale genus morbi à Lauacro & Laconico curari nequeat, nisi in determinato sedili eger sedeat. Id vt cognitu vniciq; facile esset, eas proprietates ac varietates, sedilibus inscriptas fuisse, ac designatas aiunt, sed scripturam illam Melicorum liuor (si Dijs placet) aboleuit. Excusatione digniores, si canerent, aut, si malunt, fierent.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas

Omnia destruitis.

Hæc causa est, quòd qui olim ab illis prodibát effectus (vt illi aiunt) hodie non sentiantur. Sed quid mirum si apud barbaram gentem tam altè radices fixit hæc opinio, cum hodie in nostratum ciuitatibus, quantumuis bene constitutis, Aquam D. Alberti, D. Petri martiris, & aliorum nomine consecrari, & populo distribui videamus, aduersus febres, & alios morbos. Tantum vbique & omnibus in rebus potest tyrannus pessimus mos. Sed ad huius balnei qualitates redeo, vt ex illis facultas elici queat. Sulphureum est & ferreum: cuius indicium hoc est Sauonarolæ: quod herniam flatriosam & εντεροκίλην, seu herniam intestinorum curet. Aliud est balneum inter vrbē Reparani, & castrū Al-

cani situm. A castro quatuor miliaribus distat. Huius tria sunt lauacra in vno aqua calida est, in alio calidior, in alio calidissima, adeo vt in eo oua facile coquantur. Sunt & alia pleraque in hac insula balnea, quæ omnia cum sulphurea sint, ipsa ad sulphureorum considerationem referre sat erit. Sunt & in comitatu Palermi plurima Termini nominata, à castri nomine, cui vicina sunt.

De Thermis Aquarij CAP. XXXII.



NE ADEM Italia in via Aemylia inter Boios cispadanos urbs est insignis, Regium Lepidi dicta: à qua ad uiginti duorum miliariorum interuallum opidum est Aquarium nomine. A quo ad miliare balneū est, cuius aqua limpida, clara, & frigida scaturit: odore suauis, qui camphoram referre videtur. Cum in ea lauari debent ægrotantes, igne calfactam vasis imponunt ligneis. A paucis annis vt vsui esset, ægrotantium commoditati edificio ornatum est. Huius fodina aluminosa, nitri & salis particeps, sulphuris vel parum, vel nihil habet: vt vno verbo concludam, id & fodina & viribus Porretensibus simile affert Sauonarola.

De Balneis Carpensibus CAP. XXXIII.



AR P V M ciuitas in Italia, quam Strabo lib. v. vt quidam volūt, Nacros campos appellauit, inter Cispadanos in Boiorū tractu non procul à Mirandula. Ad

XXXIII. miliaria castrum habet nomine

ne Brandula, à quo miliari distat balneum quoddam, cuius virtus cognita fuit anno M. CCCC VIII. Cum enim aqua frigida sit, falsi saporis aliquid habens: quæ finitima loca pascebant armenta, illius potione magis quàm aliorum fontium delectabantur. Cumque in boues dicto anno crassaretur morbi quoddam genus, sanguinem per vrinæ meatus expellens, quotquot ex ea aqua potabát, cõualecebant, etiã si alijs letalis esset morbus ille. Hic rumor cum paulatim in populũ spargeretur, multi è vicinis oppidis renũ aut vesicę affectibus cruciati, ex ea aqua bibérunt. Atq; experiẽtia obseruatum ac compertum est nephriticos & colli vesicę excoarationem patientes curatos fuisse. Id animaduertens Magnificus Galasius ex eius castri dominis, illius aquæ quantitatem Sauonarolæ transmisit, quo tempore de balneis scribendi prouinciam susceperat, vt eorum fodinam & vim cognosceret, cognitam suis scriptis immortalitate donaret. Qui eam afferit limpida, actu frigidam, ingrati saporis, & odoris nil habere. Sulphuris aliquid habet, sed parum: nam eius pars cœnosa igni iniecta sulphur leniter olet. Estque aluminosa magis, paucõ sale participans, verum horum omnium parum habet. Abijs astringens & citra mordacitatẽ exsiccas redditur. Eam ob id non refrigerare, sed primo gradu calfacere affirmat, & initio tertij exsiccare. Vnde vlceribus glutinandis eam plurimum valere existimat: & in alijs de quibus vltimo capite dicemus. Hæc de Italiæ balneis narrasse sat sit: ob quam narrationem plurimum Sauonarolæ debes lector candide.

De Balneis Vinadi CAP. XXXIIII.

IN eiusdem Italiae extrema parte, quae Pedemontium vocatur, à Cuneo insigni oppido tredecim miliaribus distat oppidulum Vinadum, quod vulgò dicitur Viné, sub Diuæ dicecesi situm, que ciuitas est in Prouincia. A quo ad quatuor milliariū interuallum scaturiunt balnea quadā non naturalis, sed diuinissimæ cuiusdam virtutis: vt effectus singulis annis liquidò commonstrant. Quod ego à Medicis Cunei & Demontij intellexi, & à multis, qui illorū auxilio ab incurabilibus morbis sanati sunt. Illorum fodina sulphurea est: vnde vicina loca sulphur manifestissimè olent. Et si argenteum nummum vel anulum illi immerseris fonti, fiet niger, aut diuersicolor: si verò aureum, pulchrior. Ferunt & vnum ibi esse fontem ferreum artubus roborandis mirè efficaciam, ne iteratò redeat Arthritis. Id in seipso se expertū mihi narrauit excellentissimus Cunei Medicus Dominus Alexis: qui podagra vexabatur. Sic & in alijs experientia compertum habebat. Est autem illorum situs huiusmodi. A supradictō Vinado ad quatuor milliaria planities, aut potiùs vallis est semimilliaris longitudinem & quinquaginta passuum latitudinem vix superans, quam undique montes cingunt: & intermediarius irrigat. Horum montium duo septemtrionem, alij meridiem spectant, qua planitiem cingunt. Qui meridiem, arboribus abundant, vnus abietibus, alter fagis. Qui septemtrionem vergunt, saxosi sunt, nil ferè præ-

præter dumeta & pastorum Tuguria habentes. Ex altero horum montium qua in vallem ingressus est, fontes oriuntur è saxo montis instar eminentissimo. Primo fonti riuo proximo Luti nomen dedere, quòd plurimum Luti in fundo habeat vtilissimi. Huius aqua calet quidem non tamen intensè adeò, quin immersum digitum ferre queas. Paulò vterius occidentem oram versus ad decem passus, ex eodem saxo alius emanat fons, ad duorum brachiorum, à terra, altitudinem scaturiēs: A quo Embrocha seu irrigatio fit. Huius aqua supradicti longè calidior, adeò vt illius contactus ferri nequeat. Mutaturque eiusdem caliditas pro temporũ mutatione, siquidem nubilo vel pluuio cælo calidior existit, quàm sereno, & manè quàm vesperi. Fontem hunc postes circundant & tegunt in modum Tugurioli. Scaturientem aquã recipit canalis ligneus, ex quo aqua in subditum alterum canalem descendit, qui tria habet Epistomia, tribus eodem tempore irrigandis hominibus accommodata. In prioris canalis extremitate capsula lignea posita est reliquum aquæ recipiēs, vt refrigeretur: & canali subdito commiscetur. Huic alius fons proximus est Lutum dictus, aquam minùs calidam isto emittens: cuius Lutum præcedenti commodius & vtilius iudicatur. Supra fontem hunc à medio eiusdem saxi quartus emanat fons, balneũ constituens: per subterraneum cuniculum, in domũ à fonte ad viginti passus, aut circiter secus riuum positam, defluens. Defluit autem in stupham primũ, deinde à stupha, in duos diuisa canales, in duo lauacra quadratæ figuræ longitudinis & latitudinis brachiorum.

ferè quatuor, altitudinis verò ferè duorum quorū: alterū ab altero vix quinque distat passib⁹. Ex his lauacris & spatio in ambitū relicto lectulis recipi ēdis accommodato, media illius domus pars nempe infima continetur. In cuius medietate, nempe inter duo lauacra, ascensus est in supernum cubiculum totam domus latitudinem comprehendens: ægrotis recipiendis inferiori accommodatius. Ex his lauacris sunt qui ferāt balneum orientalem oram respiciens, salubrius esse occidentali. Et reuera ferè semper est in illo maior aquæ hyatus in fluxusque. Silentio prætereundum non est ab eodem saxo proximos esse plurimos fontes aquæ frigidissimæ. Sunt & calidi multi alij, quos prætereo: quòd inutiles sint, & riuo immisti deperdantur. Inter illos, mirabile dictu, prope Epistomia secus riui ripam vnus scaturit, cuius aqua aquæ riui instar olei innatat. Loci illius aërem satis temperatum ferunt, præsertim vere & autumnò: etiam si vallis tota ventis à meridie ferè semper agitetur, præcipuè sereno tempore. Hęc sunt eorum quæ de his audiui capita: qui plura & magis instituto attinentia sciet, ea addat. Nos in horum historia ingeniosissimo Antonio Bergæ Medicinæ studiosissimo nõ paruam fidem meritò tribuimus: qui eò proficiscens mea causa id oneris susceperat.

De Germania Thermis CAP. XXXV.



IN Germania Europæ parte maxima & celebratissima quàm plurima sunt balnea naturalia, ex quibus pauca quædam recensabo, quæ à Fuchσιο viro doctissimo & fide digno habui. In horum nu-

mero

mero meritò primas partes sibi vèdicât thermę in Cuiaciensi Dioccesi sitę, quę Germanis Pfefferesbad, dicuntur, hoc est, piperina balnea. Cōstāt mistura auri, sulphuris & nitri, harū aqua nō cōtinuò manat, sed tertio die Maij erūpit, decimo verò quarto septēbris iter ū sese subducit

In Lothoringię montanis (sunt autem Lothoringi populi qui à Burgūdis separātur Vosego mōte: quorū ciuitas episcopalis est Tullium) balnea sunt, quę plumbers, quasi plūbea, ob nimirū copiosam plūbi misturā vocant. Cōstāt ex plumbi, vt dixim⁹, sulphuris & aluminis cōmissione. Horū inter Germaniæ balnea mentionē facere placuit, quòd ex omni ferè genere terrarū homines illuc cōmigrent. Haud pculā Badenij Heluetiorū Thermę salubres habent, quarū mistura constat ex copioso sulphure, & exiguo alumine, vnde calfaciūt potēter & exsiccāt. Erat olim Badē quod Cecinæ milites subuertērūt, castrū inter Heluetios, vbi sunt Thermę, conditū aduersus Germanorū & Rhetorū, q̄ hodie Grifones appellāt, subitas excursiones. Quod illic velut aditus quidā pateat in Heluetiorum agrū. Est etiā nūc Sueuis illac iter in Narbonēsem Galiā seu Celticā. Hac porrò etate oppidū est, quod Baden vocāt Heluetij; per amœno salubriū aquarū vsu frequens. Agnoscit hac nostra etate vetustiorū octo pagorū cōmunē aristocratiā. Sūt & in inferiori Badenia, vbi Marchio Badensis residet, balnea mirę efficacię, quorū mistura ex sulphure, sale & alumine existit. in Ducatu vuirtebergēsi haud pculā à Chalb oppidulo sunt Thermę, quę à Nartiana silua, quam Glareamus Hartianam vocat (sic autem Romani superiorem partem Hercinij nemoris appellāt) Germa

nicè Schunartzunald oder vnilabad, hoc est, ferine nominantur. Ex eadem qua priores mistura cōstant. Sunt tamen qui cupri & nitri mistionem accedere putent.

Haud procul ab his Cellenses sunt thermæ, quarum mistura ex modico sulphure, alumine & cupro cōstat. Cellensis Glareano lacus est, quem suo lapsu Rhenus efficit: Quem alij à Pomponio Mela Venetum vocatum contendunt. Nostra ætas Cellensem ab Radolphi Celli insigni oppido nominat.

In eodem etiam Vuirtembergensi ducatu ad Gepingam oppidū Thermæ sunt, quæ Germanicè Saurbrum, hoc est acidus fons appellantur. Ex acidis, inquit Fuchsius, quibus exigua sulphuris accessit portio, harum mistura constat.

Similis propè mistura est earum thermarum, quæ in Au sunt prope Roteniburgum ad Niterum situm, copiosiore tamen sulphuris portione constant, ideoq; minùs prioribus acidæ, quo etiam nomine calidiores existunt, maioriq; exsiccandi, ea quæ in partium cauitatibus delitescunt facultate præditæ.

In finibus lacus Podmici, quem Constantiensem vocant, Thermæ habentur Embs dictæ, aluminis & nitri mistura participantes. Lacus hic à Rheno per ea loca irrupente efficitur, Brigantinum Plinius ac Solinus appellant, eundem Mela Acronium nominat.

In Alfatia vel Elsetia Glareano prope Gebersuneiler, Thermæ sunt, quæ ex mistura aluminis, nitri & ferri constant.

In Bohemia apud Elembagium oppidum, Thermæ sulphuris & aluminis misturam obtinent.

Vnif-

Vuisbadenses Thermæ ex sulphure, alumine & exiguo nitro constant.

In Baioaria sunt Thermæ, quas Gastein nominant, quibus vehemens adstrictoria facultas inest, ideoque omnia corporis excrementa dissipant, & absument.

Apud Abudiacum Baioariæ castellum, supra Reginoburgum Thermæ sunt, quæ sulphuris, aluminis & nitri misturam obtinent, odore oua frixa referunt.

*De variarum aquarum varijs naturis,
& miris quarundam proprietatibus*

CAP. XXXVI.



IN Cilicia versus Pamphiliam fluuius est Charadrus nomine, ex quo si mas & foemina Verno tempore biberint, mares gignunt.

Amoris incendium qui impatienter fert, lauet, & bibat, è Sennio.

Himera Siciliae fons huberrimus in duos ramos ducitur, quorum vnus dulcis est, infectus alter falsedine.

Aleos siue Olocas Bithiniae fluuius est: ex quo si periuri biberint, flamma incenditur in pectore.

Clitumnus Italiae fluuius est inter Phaliscos, qui armenta ex eo bibentia candore inficit, idcirco Virgilius in Georgicis. Hinc albi Clitumne greges.

Melas Beotiae amnis bibentia animalia nigredine colorat, unde & illi nomen.

Xanthi potu rufescunt armenta.

Ex Penæo Theſſalico, & ex Aſtace Pontico fluminibus, bibendo nigrefcunt oues.

Cidnus amnis podagricis auxiliatur: neruos ſua frigidityate emollit, tam in hominibus quàm beſtijs.

Cephiſi potu, licet ex eodem quo Melas amnis lacu fluat, candicant greges.

Sybaris & Chratis Italiae ſunt flumina in magna Græcia, ille nigredinem, hic candorem bibentibus inducit.

Gallos Phrygiae fluuius furorem mentis immitere putatur.

Nilus tamenſi præceps feratur, nullas ex ſe tamen auaras gignit. Eius aqua foecunda eſt, vt animentur ſæpe numero glebæ.

Axius Macedonicus capillum nigrum efficit.

Haliachmos eiufdem regionis album.

Ochus Baëtrianis pulchra falis dat ramenta.

Silari Itali aquis immiſi lapideſcunt in eadem.

Cereus & Neleus Eubœae ſunt amnes: albedine illo, hoc nigrore pecus inficitur.

In Velino lacu deiectum lignum lapideo cortice obducitur. Eiufdem potentiae Surius eſt Colchidis lacus.

Arethufa lacus, in quem Tigris irrûpit, omnia pondera ſuſtinere dicitur. Prætereâ Amnici piſces nunquam lacum attingunt, nec Arethuſei fluuium.

In Atamana palus eſt immenſa Italiae prope lunam: Cuius potu in furorem alij, alij in ſtuporem aguntur:

Inter Mazaca, & Tuana Cappadociae vrbes lacus eſt in quem pars harundinis demiffa, vel lignum paulatim

lapi

lapidescit, non mutata quæ aquis extat, parte reliqua.

In pufidamo Alpiciæ lacu, nihil immergitur: huiusmodi naturæ & Sirbonis lacus bituminosus.

Salsi lacus habentur in Africa ad Iouis Ammonis templum. Sic in Armenia, qui Matianus appellatur lacus.

Ex Arfino lacu aqua non bibitur, propterea quòd & nitro abundat, & vestes scindit immiffas.

Lacus Agrigentinus omnia pondera & ipse sustinere dicitur.

Inter Laódiceá & Apamiam fœdi odoris lacus exundat.

Gelonium Siciliae stagnum cum cælum serenum est malo odore vicinos abigit. iuxta id duo fontes effluunt: è quorum vno fœcunditas mulieribus, sterilitas su perinducitur ab altero

Ex Petrensi Siculorum ebibens vipera moritur eue stigiò, cum ceteris animalibus sit salutaris eius aque potus.

Asia palus, cuius meminit Virgilius propter innaſcentis absynthij copiam amarissima est.

In Sanum locum in Troglodytis esse affirmat Iuba, candidis serpentibus in centum cubitorum scatentem: qui ter singulodie fit amarus: mox salsus, deinde dulcis.

Syderis qui & Silicis vocatur, lacus est Indorum, cuius adeò levis est aqua, vt etiam leuissima nõ sustineat.

In Rheatinis Italiae paludibus iumentorum vngule durantur.

In Cilicum tractu tanto impetu sursum aquarũ vis irrupit, vt si hastam velis demittere, non possis.

Betis oppidum est Hispaniæ, vbi putei maris cœtum consequuntur.

In Hyfia Beotiæ urbe puteus fuisse legitur, ex quo qui ebibissent futura vaticinabantur.

Bais in Italia aquæ sunt & ad salutem, & ad voluptates idoneæ.

In Pithecusis aquæ sunt calculum discutientes è vefica: huiusmodi potentiæ aquas habet Astipalea insula vna ex Sporadibus.

Ad Hierapolin urbem trans Mæamdrum fluium aqua lapidescit in tophum: ita vt qui aquæ ductus deriuant, integra septa ex illis aquis conficiant.

Vltra Hispaniolam occidentis insulam, Bonicam insulam esse ferunt Hispani, cuius aquæ potu reiuuescant senes.

Aequicolis in Italia, & in Alpibus, & in Augustensi valle, & in Taurinis aquæ passim scaturiunt, & è niuibus liquefcunt, quæ bibentibus turgidum guttur reddunt.

Debris fons est Garamatum, à meridie ad mediam noctem feruentibus aquis æstuat, in reliquis horis riget.

Fons Iouis Ammonis in meridie alget, sub noctem calet maximè.

Apud Trogloditas Aethiopes fons est ab ortu ad meridiem rigens, à meridie ad ocafum tepescens: in nocte feruore & amaritudine inficitur.

In Aethiopia etiam fons emergit, qui circa meridiem adeò friget, vt potui fit inhabilis: media autem nocte adeò feruet, vt tangi non possit.

In Dodona Sylva fons est, qui tametsi naturæ sit rigētis, super eo tamē vestes expassas accēdebat in flammam. Idem meridie semper deficiebat: Idcirco Anapanomenos, hoc est quiescens est appellatus.

In Illiricis etiam super eo vestes explicatas vrebatur.

In Collibus Lario lacui imminētibus fons Plinianus emergit, aspectu sacer & venerabilis: qui singulis horis & tumescit, & residet. Hoc se vidisse asserit Gaudentius Merula Nauariēsis, ex cuius memorabilium libro, quæ hoc cap. à me narrantur, deprompta sunt. Huius viri autoritas non parui ponderis apud me est, cum ob singularem eruditionē, & multā lectionem, tum ob vitæ integritatem.

Non longè ab Halicarnasso, Salmacis, fuit opinione vulgari damnatus, quod bibentes ex eo viros muliebri mollitie contaminet.

Paros insula fontē habet, in quem si pannū album immerferis, nigro colore infectum extrahes.

Non procul ab Euripidis Poëtæ Græci tumulo apud Macedonas, duo simul fontes concurrunt, quorum vnus potus est saluberrimi, letalis alter.

In Halesino tractu fons visitur trāquillus cum filetur: perstreptentibus autem Tibijs vltra margines exiliens.

Examphæus fons Hypanim fluiuium ira inficit amaritudine, vt nullum animal bibat ex eo.

Ex Cauasso monte fontes effluunt, qui immerfas pelleis aureis replent arenulis: vnde locus datus fabulis, de aureo vellere.

In Littore Germanico vltra Rhenum, fons est dul-

cis, ex quo qui ebiberint, intra biennium & dentium eradicationem, & compaginum dissolutionem patiuntur.

Ex Berollo Taurorum colle tres fontes erumpunt: quorum haustus & sine remedio, & sine dolore lethalis est.

Sufis Persarum vrbe fons est, cuius haustus dentes euellit.

Fons Cææ insulæ bibentes hebetat.

Chios fontem habet execrabilis virulentie, sensus enim & sanam mentem destruit.

In Italia in via Cápána, in campo Corneto fons est, in quo anguim, lacertarum, & serpentum ossa, conspiciuntur: que si extrahere volueris, nihil inuenies.

Muttianus refert Cycinem fontem cupidinis amorem sedare.

In Paphlagonia, & in Naxo insula fontes sunt inducentes bibetibus ebrietatem: Sic apud Italos in agro Caleno: Sic in Andro insula.

Iuxta Solos fontem esse Policletus retulit, vicem olei egregie suppletentem.

Reperiuntur & fontes, qui miram picis copiam exhibent, vt circa Dirrhachiũ, Apolloniã, & Zacinthũ.

Ferunt Tharsi Magnesi, in ifuncio Aphrorum opido, fontes esse: quorum haustus voces canoras facit.

Linus fons apud Arcades abortus fieri prohibet.

Apud Rheatinos Neminia fons alio, atq; alio scaturiens loco Annonæ mutationem portendit.

In Bœotia ad Trophonium Deum penes Orchomenon, duo sunt fontes, quorum vnus obliuionem, alter

memo-

memoriam bibentibus subministrat.

Iuxta Lufum Siciliae oppidum fons acuere bibentium dicitur ingenia.

In Colossis flumē est, in quod demissi lateres, extrahuntur lapides.

In tractu Heracleotico penes Perperenem urbem fons scaturit, qui in materiam lapideam conuertit terram, quamcumque irrigarit.

Tamarici fontes apud Catabros tres visuntur octonis inter se pedibus distantes, & in vnum alueum tandem coeunt. duodecies singulis diebus siccantur, dirumque omen habebatur, qui cupiens non fluentes aspexisset. Sic temporibus C. Plinij, L. Lucino post praeturam et enit.

Circa Cappadociam ad Lacum cui Tatta nomē est, fontes emergunt sulfuginosi: atque adeo faciliter sal rebus immersis circumgelascit, ut volucres ipsae alis aquas contingentes facile capiantur: cum propter gelationem salis longius euolare non possint.

Rubressus locus est Narbonensis Galliae, ubi fons est vberimus, cuius aqua Marina falsior fonti sulfulae nomen dedit.

In Cispadano tractu inter Placentinum & Parmensem agrum Sulfula vicus est, in quo putei aquis falsis scaturiunt: quae dulcibus admistis ignis opera congelascunt in salem.

Clitorius fons per Arcadiam fluit, cuius aqua semel epota, vini tedium inducit: vnde illud emanauit,

Clitorio quicumque sitim de fonte leuaret,
Vina fugit, gaudetque meris abstemius vndis.

Cresias refert in Armenia fontem esse, cuius pisces
sunt letales.

In agro Gadareno aqua est, ex qua ebibētia anima-
lia pilos, vngues, & cornua amittunt.

Alifus, fons est apud Cynæthaenses Arcadiæ po-
pulos, cuius haustus rabidi canis morfu labo-

rantes reddit incolumes. Idipsum

præstare refert Gal. v I. Sim-

plic. herbam eiusdem

nominis.



DE BALNEORVM
NATURALIVM VI-
RIBVS LIBER

QVARTVS.

CAP. I.



ELVTI qui ad brauium cur-
rit, etiam si currendo anhelet,
insudetque, ac sui cursus maxi-
mam & potissimam partem re-
ctè perfecit, nihil effecit, ac
frustra laborauit, nisi sui labo-
ris scopū attigerit: ita qui ter-
tium euoluit librū, nihil ade-
ptus est, si hunc relinquat, qui
toti operi colophonē addit, mole quidem exiguum, at
viribus maximum: quandoquidem haud secus ac se-
cundus primo necessariò adiunctus est: ita vltimus hic,
tertio.

Primus enim Aquensium Thermarum nudam hi-
storiam complectens exiguæ vtilitatis esset, si secun-
dus rectam illis vtendi rationem non addidisset. Sic
tertius fodinarum, balneorum totius orbis vim edo-

R iij

cens, ac multorum historiam & fodinam enarrans, parum utilis foret quarto hoc labore destitutus. Verum hic non solum Italis & Germanis, quorū thermas præcedenti enarrauimus, sed etiam Gallis, Anglis, Scotis, Hispanis, Vnguaris, Bohemis, & reliquis, qui Latio sermone gaudent, vsui esse potest: si doctiori destituantur. Siquidem ratio ac Methodus, qua possimus cuiusvis balnei fodinam inuestigare: postremo qualiscunque fodina fuerit, ipsorum facultates ac vsus scire omnibus commune indicamus. Nec igitur hic sine præcedenti absolutus est, vt potè à quo suarum demonstraticnum principia mutuatur. Nec ille sine isto, vt potè, qui illius sit finis. Erit autem supra cæteros utilissimus & pulcherrimus: At quò pulchrius quidpiam & vtilius, tantò etiã difficilius censemus. Nam Methodo aliqua id tradere, quod nulla hactenus traditum comperimus, quis non difficultati & calumniæ obnoxium iudicabit?

Qua ratione thermarum fodina sit inuestiganda

C A P. II.



V M totius orbis balnea nec videre, nec ex aliorum narratione recensere potuerim: vt susceptus hic labor non solum cognitis & nominatis, sed etiã incognitis & innominatis accommodari queat. Et iam narratis indubiam fidem facere possit: Num tales sint illorū fodinæ, quales alij credentes descripsimus: Operæ pretium fore existimauius Medico, cui aquæ alicuius mixtura indicā-

da

da proponetur, methodum indicare: qua possit singulas aquarum sponte nascentium misturas discernere.

Non possum autem aptiorem viam ac rationem commōstrare ea, qua nos Galenus docuit simplicium medicamentorum facultates inuestigare. Cuius verba hæc sunt initio libri secundi simplicium.

Οί τός οικείας όρας ύπερβαίνοντες σοφισαί μακράν ήμίν ποιόσω τόν πόδη τ τών άπλών φαρμάκων δινάμειος λόγον. πορρόθεν γάρ άρχήμιοι, και τίη άσκησιμη άτιμάζοντες εμβάλλοντες τε σφας εις τά και η τοίς φιλοσόφους άπορήμια, προσάπολυσω εις αγνόσω, και τά σάφως γιννοσκομια. και ταύτα ποιόσω οι πλείους αυτών άμαθεις ύπαρχόντες, ό τ φυσικίς θεωρίας μόνου, αλλά και τήν λογικών μεθοδών, αϊς άνευ καϊών όδών κηόθαι τόν ότικον άποδείξαντα. Deinde paulò post, Εμεί ό ε εί κρη τό παρισχυλινον ειπωεί, ως ελευθεοι μη τε και παρ όλου τού βίου αποδύσαντα αληθειαν, μελεγεχολίας έω έκενα πεεληλυθέναι νομίζω τός τά τοιαύτα ληροώτας. εί μ γάρ άνά βένδ σοί τά δία τή αιόδη σάων ανεργώς φανόμια, τώ έμ άρξονταί τήν άποδείξεων, ό η εξεσω. εί δε ως άπό πωίτων άρξονταί, τώ ως υστερου εολόγως άπειρησσω, αϊ γάρ τών άποδείξεων άρχαί πωιστεροι τήν άποδείκνυμιν, α τ έξ ύστερω δείταί πωίσις, αϊ δ έ αρχαί τήν άποδείξεων, ό μόνου αυταί κατά εαντας, αλλά και πός τών τήν ζητημινών ευρεσιμη ύπαρχουσι πωίαι.

Quæ si Latio donantur sermone, sic habent. Qui proprios transgrediuntur limites Sophistæ, nos de medicamentorum facultatibus longiorem sermonem cogunt habere. Longius enim principia ducentes, ac sensus reijcientes, atque interim seipfos ijs immiscētes, quæ etiam Philosophis ambigua sunt, peruertunt quæ ignorant, & quæ manifestè cognoscuntur: id eorum plerique faciūt, quod non solum naturalis speculationis sint ignari, sed etiam logicarum methodorū, quibus vti necessum est cuiuslibet demonstranti. Deinde paulò post. At si me quod in mentem venit, fari oportet, qui liber sim scilicet, & in tota vita extra verita-

tem studuerim nihil: ad insanie extremũ & vltra peruenisse illos arbitror, qui circa talia delirant. Si etenim euertat quæ per sensus euidenter apparent, vnde exordiat̃ur demonstratione principia nõ habebũt. Sin autẽ ab ijs tanquam à fide dignis exordiantur, quo iure iisdẽ postea diffident. Nam demonstrationum principia certiora sunt ijs, quæ per illa demonstrantur: quippe cum ista aliunde fidem mutuentur. Demonstrationum verò principia non solum ipsa per sese, verum etiam ad quærendorum inuentionem, quibus credatur, idonea sint. Aggrediamur igitur & probationis nostre basim ab ijs, quæ aut sensui, aut intellectui sunt manifestissima. Et Aristoteli, Galeno, ac alijs summis viris consuetam demonstrandi rationem sectabimur. Nec quosdam homines videbimur imitari, qui quæ per causam primam immediatam, & suapte natura conclusionem notioerem non ostenduntur, demonstrari non putat. Sicque disciplinarum omnium opinionem tantum haberi, non scientiam nolentes concludunt. Alij nil tale meditantur, sed locum ab autoritate vnicam & solam probandi, & sciendi rationem esse existimant. Imprimis itaque illud assumimus tanquam manifestum, horum quæ ijs aquis miscentur cognoscendorum tria potissima esse media, saporem, odorem & colorem. At horum index est gustus, odoratus & visus bene dispositi. Quare prius quam huic mistorum discretionem applices, fac probe & diligenter te exercueris in simplicibus illis dignoscendis, oleum enim & operam (vt aiunt) perdes, si ad id accesseris ignorans, quis sit sulphuris, quis nitri, & sic aliorum omnium sapor, odor

odor & color. Nec etiam qualitates primę caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas sunt negligendę. Nam etiam si illa actu talia non dicantur, sed solum potentia, tamen vbi illa potentia in actum reducitur: tunc sensui tactus subiiciuntur. Atque eo tempore ex illis qualitibus secundi emanant effectus, qui aut visu, aut intellectus lumine cognoscuntur. Et ratiocinando ad suas causas relati quid sit id, à quo talis prodit effectus commonstrant demonstratione ea, quam Arist. cap. x. (iuxta diuisionem Argiropili) primi posterioris resolutionis: dixit quod ὅτι ἐστὶ ἀπὸ τοῦ ἐνυμμοῦ an res sit, vel rem esse demonstrat: non vt altera δὲ τί ἐστι propter quid seu quamobrem sit. Siquidem quod illic effectus peculiare & proprii sulphuri conspiciantur, inibi sulphur esse indicat, & non commōstrat cur id sit sulphur. Nos igitur, ne quid desiderari possit, vtriq; vie insistamus, & ei quę à priore, ea quę horum naturam constituunt examinat: & alteri ac postremę, per quam quod effectus tales à tali re prodeant, talem rem ibi esse indicamus. Sed interim caueamus ne sicut Archidamus, cui hodie multos similes video, ex vno aut altero indicio aliquid asseramus, quod Galenus lib. II. Simpli. admonet. Sed prius discamus quę propria illi rei sint, quę communia cum alijs. Et iterum ex illis proprijs quo proprietatis genere propria. Num ita vt omni quidem sulphuri, exempli gratia, insit facile flammam excitare, sed non soli: nam & oleo, & nitro fortē accidit: sed nitrum crepitat, oleum claram flammam emittit: sulphur sine crepitu celerrimē subobscuram & viridi citrino, ac varijs coloribus interstinctam, in morem In-

dis, cęlestis arcus. Colligamus igitur hæc omnia in v-
 nſi, non modo omni, sed & soli sulphuri id conueniet:
 at fortasse non semper: nam si aquę contrarietate eius
 vis obtunditur, non potest hunc effectum exerere: sepa-
 retur igitur ab aqua, & hunc effectum impediētib;
 rebus, (quam separandi rationem postea indicabimus)
 deinde ne dubites asserere, soli omni, & semper sulphu-
 ri cōuenire, igni iniectum sine crepitu, celerrimē, sub-
 obscuram, varijs coloribus, præsertim viridi ac citri-
 no, distinctam flammam excitare. Sic quamcunque
 substantiam hunc effectum producentem sulphur esse
 affirmabis: sunt enim talia, quę omni, soli & semper
 competūt reciproca: ob id sic licet asserere, si hæc sub-
 stantia sulphur est, hunc effectum videbimus: si hunc ef-
 fectum ex hac re videmus, res hæc sulphur est. Alia da-
 ri signa & alijs cōmunia, diximus. In hoc accidentium
 genere potiora sunt iudicanda, & præferenda ea acci-
 dentia, quę a re illa nunquam separari possunt, nec ta-
 men negligenda quę separantur. Preterea consideran-
 dū, quid per se a rei natura emanet, vel efficiatur. Quid
 incidenter & fortuito, non ex ea re fiat, sed verius eam
 rem consequatur. Vt frigidę immersio iuuenem robu-
 rum valet, sic olei inunctio hoc, quia fuliginosorum
 recrementorum calidam evaporationem retinet: illa
 quia calorem ad interiora repellit. Neutrum tamen ca-
 lidum hac ratione pronuntiabitur, quod per accidens,
 vt aiunt, non a rei ipsius natura fiat. Porro hæc & ple-
 raque alia ijs similia Medicum rationalē ignorare ne-
 phas est. Sed vt breuiores ac faciliores simus, simul cum
 vniuersalibus præceptis particularem exercitationē tra-
 damus

damus. Proponatur tibi, si ita vis, aqua balnei de petriolo, de qua prius primū sese offerat color citrinus, num sulphureā statim iudicabis: minimè. Nam ex auro, ex ære, imo ex corruptione similem colorē accipere posses, ita de viridi. Oleat sulphur, nondū tamen cōcludes sulphureā: nam ignei quidā spiritus nature sulphureæ, qui cum eis scaturiunt hunc odorem referre possunt: similem odorem post fulguris percussionem in rem aliquam manifeste sentimus. Sit & spuma eiusdē coloris, vinctuosa, nil refert: nam ab aquarum agitatione, à crassitie, à putredine, & alijs causis hæc spuma gigni potest. Sed ferueat hæc aqua, spumosas bullas emittat, sulphuris odore uicina loca inficiat, spuma hæc exsiccata, igni iniecta flammam celerrimè suscitet, si ita lubet, citrinam & viridem: nunc sulphur illic esse non negabis: nam flamma illa certum signum alijs fidem adeo auget, vt simul omnia collecta certissimā pariant sententia: num ob id tanquā à superāte sulphure sulphurea denominabitur: nequaquā: nondum enim gustum cōsulisti, qui in sale, nitro alumine, & alijs simplicibus dignoscendis primas partes sibi vendicat. Nondum alia expertus es, quæ mox dicemus, Gustus indicium vt potissimum, ita difficilissimū est, idq; multis nominibus: primū quia ea vndecim quæ initio huius libri aquarū qualitates immutare diximus, non omnia in signē saporē à natura accepērūt: eius quem habet gradū verbis indicare nō est facile, nec apud classicos authores hos ordines saporū descriptos inuenies. Nec seruantur (quod peius est) in misto tales omnino, quales in re simplici erant, retunduntur enim ex alterius saporis admistione:

ita vt tertius confurgat, qui neutrum plerumque refert. Quinimo & aqua ipfa etiam fi cum ἀρωγός fit, hoc est, qualitatis expers, omnibus faporibus, & odoribus recipiendis & referendis fit accommodata, hos tamen variè refert pro varia admisti quâtitate: id experimento faciliè comprobatur, aluminis vnciam in semilagena aquæ liquato, eandem in lagena tota vtrumque gufta, diuerfimodè ferient guftû, id ipsum ex fale facito, comperies veriffimum: hæc erit quidem falfa, illa cum quadam astrictione mordicabit, verùm vna magis minusue alia. Meum igitur confiliû accipe, donec accommodatius inueneris: vndecim illa, quæ diximus, gufta, feliges autem viuum sulphur non coctum. Aluminis fossitij, non factitij genera. Sal fossile, non marinum, deficiente nitro, salpetræ. Bitumen, quam mumiam esse diximus. Quorum colationem cum aqua es facturus, ea identidem gufta. Si excellenter ferientem palatum saporem gustaueris, os prius frigida collues, quâ alium gustes: alioqui præcedens subsequētis indicium interrumpet. Inter hæc faciliè sentiuntur tria illa, alumen, nitrum & sal. Sed omnia astringunt: verùm citra falsedinem, alumen & nitrum. Ab alumine nitrum distingues, quod cum maiori mordacitate & absterfione leuiter astringit. Salfedo igitur, astrictio, & acrimonia hæc abinuicem separat. Calx vehementiffimè mordicat. Sed agè aliam aggredere viam, singula seorsim in aqua eliquato, quæ liquari nequeunt, candentia aliquoties immergito: cum qua aquam Petrioli euidentem similitudinem obtinere perceperis, illius fodinæ participem afferere non dubites. Adde & alia indicia,

vt quod ex ea aqua alumen, sal, sulphur, vel aliud simile fiat: vt in proposito balneo fieri dicunt, & Aponi, ac montis Catini, & similibus: quod indicium certissimum est. Sic etiam si in aqua inueniantur grumi talis rei, vt in Aqueisibus vltra Burmidam sitis, grumi aluminis. Aut si in vicinis parietibus, per quos destillat, simile quidpiam concrescat: vt in Epistomijs balnei Aqueis vltra Burmidam, ego sal gustauit ibi concretum. In parietibus eius, qui in vrbe est, sal nitrum.

Præterea eandem aquam, quæ gustu nullo modo falsa est, in æneo vase ad consumptionem deferui, in fundo falsa quædam crusta relicta est, indicium salis certum. Nam si dulcem eo pacto consumpseris, non id continget, & tamen aqua illa gustui nullam præ se fert falsedinem. Qua ex re documentum hoc firmiter animo tuo hæreat, non esse semper afferendum eam rem ibi non esse, cuius qualitatem gustu nõ percipis. Id experientia discas, si salis grumum maximæ amphoræ liquadum inieceris, nullam enim gustu falsedinem percipies: & tamen salis expers ea aqua non est dicenda. Experimentum hoc per ebullitionem aliqui destillationi cedere non putant, sed malè, vtrumque tamen ambiguum est, quod rationibus in destillatione dicendis fiet manifestum. Ad hæc si fodinæ aliquæ sunt proximæ, sciscitare quid ibi effodiatur: singula enim aliquid probant, si non seorsim, saltem alijs iuncta. Tandem ad destillationem deueniamus: aquam fontis non riuulorum vasis vitreo inde, cucurbitæ, quam vocant, impone, operculo seu capillo obthura. Cum calidi sit ætherogenea sciungere, aquea, aërea, & ignea pars dissipat

bitur, terrea residebit. Hanc residentiam vltiori lento igni resiccant: alij in latissimis vasis foli exsiccadam exponūt, quod relinquitur, contemplantur: alteri hoc cognitionis genus præferunt. Nam sic partes falsæ, nitrosæ & aluminosæ à sole concresecunt, & sulphureæ splendidiore redduntur. Et hîc nec etiam tactum negliges, nam per hunc alumen & sal à nitro, calce, cinere, ac similibus discernes. Nec auditum quia sal & nitrum igni iniecta crepitât. Destillationem quidâ tamquam totius examinis anchoram laudârūt, & ego eam parû posse cenleo. Siquidê nisi magna sulphuris quantitas adfit, in tenues vapores soluitur, & in ambiêtem dissipatur, præsertim si non pedetentim ignis vim intenderis. Sed demus in ijs posse, quod non inficior, vbi exigua est alicuius portio, maximæ alterius substantiæ portioni admista, illa priùs fortasse euaporabit, quam ad extremam residentiam sit deuentum. Aut magna vnus copia alterius minimam obscurabit, adeò vt nequeat distingui, præsertim si ipso colore ab alijs non distinguatur, vt alumen, sal & Gypsum: cinis, calx, & nitrum: Aurum, & Aes. Sed si in ijs vis egregij aliquid præstare, alumê, sal, & nitrum, ac alia singula seorsim, deinde multa simul, in aqua aliqua, deinde destilla. Sic Galeni consilium sectaberis primò Methodi scribêtis. Id tenaciter seruare in omni methodo oportet, vt in ea te multis sepe problematis exerceas, priùs quam maioribus manum admoueas. Quòd si illius imperfectissimæ mistionis, à destillatione residentiam distinguere non facile posses, quid sperandum in ea, quam natura perfectissimè elaborauit? Prætercâ sit in ijs, quæ cli-

quan-

quantur, alicuius momenti destillatio, saltem id mihi concedent, parum roboris eam habere in fodinis duræ substantiæ, cuius generis sunt ferrum, aurum, Aes & plumbum. Nam horum color, odor, sapor, qualitates primæ Cal. Frig. Hum. & Sic. & quæ ab ijs emanant facultates, per ea transeunti aquæ distribuentur quidem, at substantiæ nulla aut minima portiuncula. Censeo itaque ad quandam affirmatiuam inferendam destillationem certissimam fidem facere, vt potè ad asserendum hoc, ibi inueniri. Non tamen, vt putant, sola sufficiet, ad exactam fodinæ cognitionem: quandoquidem non licet ob rationes dictas inferre, nil aliud in fodina esse ab ijs, quæ in residentia visa fuere. De ebullitione idem esto iudicium. Sunt autem destillandi variæ rationes, inter quas potissimâ iudico eam, qua ab Alchimis modus ostenditur separandi quatuor elementa abinuicem: quam si narrare aggrediar, propositi sermonis rationem excedam. Quare ab Alchimis hanc discite, aut si ex libro Nauclerus esse speras, à Io. de Rupescissa, à Raymūdo Lulio, ab Arnaldo de Villanoua, ab Alberto magno, aut à Cælo Philosophorum Philippi Vlstadij, qui vltimus, nempe anno M. D. xxxxiij. & faciliè scripsit, aliorum scripta colligens. Ad postremam fodinæ cognoscendę rationem properemus, quę omnibus equè accommodata est, nēpe ad effectus, siquidem ij à facultate pendēt, facultas talis à tali tēperamento: temperamentum in tali substantiæ cōmistiōne situm est, quam talem rem appellamus. Hic à sensibus ad rationem confugies, non ampliùs gustando, olfaciendo, videndo, & tangēdo quod quærebas, sed ratiocinando. At cū effectus particulares numero sint

infiniti, cùm à varijs causis produci possint, vt incerti-
 tudinis, ita difficultatis plurimum habere videtur. Sed
 agè facilis erit, si hanc seſteris viam: primùm in vnum
 collige vniuersales horum vndecim qualitates primas,
 & facultates ab illis emanantes, à quibus opera illa fiūt:
 quas initio huius libri recensuimus: vt exempli gra-
 tia, video chiragras, podagras, paralyſim, nodositates,
 suffuſiones, & ſimiles morbos, ab humore craſſo, frigi-
 do alicui parti impacto horum vſu curari, negligē-
 dum id non eſt: nam & experientia Ariſt. ſecũdo poſt.
 reſol. Et Galeno primo de alimentorum fac. demon-
 ſtrandi principium eſſe poteſt. Sed colligendæ omnes
 ſimul, donec inductionem poſſis conſtituere. Non vt
 Archidamus ex vna aut altera experientia in vniuer-
 ſum ſic ſe habere aſſeres. Deinde ſic ratiocinaberis, non
 potuit ille affectus (liceat enim mihi, ſic cum tyroni-
 bus ſermonem inſtituere) proſtigari, niſi diſſipata cau-
 ſa: at cauſa erat humor frigidus, humidus, craſſus, viſci-
 dus: huic igitur opus erat ex communi illo proloquio
 contrarijs caſfacientibus, ſiccantibus, extenuantibus,
 detergentibus, & diſſipantibus ſeu reſoluentibus. A qua
 ex ſe, nec à calore ſuo id habet, hos tamen effectus fe-
 cit, accepit igitur ex mineralibus hac virtute præditis.
 Eius generis ſunt ſulphur, nitrum, calx, bitumē, ſal, &
 alumen, alia tamen magis, alia minùs, ſeu intenſiùs &
 remiſſiùs id agere nata ſunt. Bitumen cum remolli-
 tione, alumen cum aſtrictione, quæ impedimento, non
 auxilio eſt. Sed hæc priùs dicta, ab eo loco & à ſequen-
 ti capite petantur. Hanc ratiocinationem inito, etiam
 in morbis qui à relaxatione fiūt, aut iuncturarum debili-

bilitate, aut feruore ingēti, inuenies ferrum, aut plum-
 bum, aut Aurum, aut æs, aut Gypsum, in fodina esse.
 Sed cūm de affectibus, qui à calfaciendi fodinæ genere
 curatur libro secundo discreuerimus, & capite sequen-
 ti de omnibus in vniuersum dicturi simus, vlteriùs ser-
 monem non protrahemus: sed lectorem eò relegamus.
 Qui etenim didicit qui affectus à tali fodinæ genere cu-
 rentur, didicit etiam vbi hos sanatos viderit coniecta-
 re, tale fodinæ genus fuisse sanitatis recuperatę causam.
 Verūm cūm idem effectus à duobus, tribus, pluribusve
 pēdēre possit, à quo fiat distingues, aliorum iam dicto-
 rum signorum auxilio adiutus. Porrò etiam si talem
 effectum videris, nil tamen adesse eorum, quæ cōtrario
 modo operantur ex ijs asserere non debes: sed hæc alia
 vincere certum est. Quam victoriam discernere, & cui
 tribuēda sit, iudicare non est facile. Prudens tamen Me-
 dicus omnia signa simul conferens, & eorū numerum,
 certitudinem ac pondus diligenter perpendens, à veri-
 tate non longè discedet. Verūm quantum rei certitu-
 do patitur, talem rem ibi esse sciet quidem certò, si dili-
 gens sit eorum, quæ diximus, obseruator. At quid reli-
 qua vincat, saltem coniectura veritati proxima affe-
 quetur. Oportet autē non oscitanter perpendere quæ
 diximus, saporem, odorem, & colorem aquæ. Deinde
 quidquid aquæ contiguum est, canales, parietes, episto-
 mia, & substratum lutum, seu arenam, quid in illis con-
 crescat aut hæreat: quid in his resideat cōsiderare; quid
 ex ea defumi seu confici soleat, quid in finitimo solo ef-
 fodi cōsueuerit. His deinde tria illa tanquā extremum
 colophonem addere, ipsius aquæ ebullitionē. destilla-

tionem, & effectus, quibus omnibus si rectè utaris, falli non potes.

*Qui morbi balneorum naturalium usu curentur,
& quorum: ac eisdem utendi ratio & tempus.*



POST QVAM totius orbis balneorum historiam narrare nõ cõceditur, meo functus munere videbor, si vbi vno cap. aquarum sponte nascentiũ mistionis cognoscendæ ratione edocui, altero omnium vim ac facultatem aperuero, opus sanè longum & difficile, præsertim cùm ante me nemo id methodo tractârit. Sed utrumque ego effugiam, longitudinem summa tantùm præceptorum vniuersalium capita attingens particulari exercitatione leuiter indicata. Alterũ nempe difficultatẽ vitabo, ex clarissimis principijs Galeni, & omniũ Medicorum autoritate receptis eas deducẽs cõclusiones, quas nũc dicebam à nemine hætenus traditas fuisse. Sic non mihi, sed ijs ipsis authoribus erũt adscribende, vt pote quæ potentia in suis principijs ineffent. Vnde me nemo dicat hæc constituisse, sed velut in Galeno latentia commonstrâsse, & quasi in lucem eduxisse: quod ratione aliqua fiet, si sic aggrediamur. Quæcunque corpori nostro immutationem alterationemve inducere nata sunt, id vel manifestis agunt qualitatibus, vel à forma agentis illius constitutiua, quam & totam substantiam vocant, & alij proprietatem occultam. Manifestarum qualitatũ actio duce ratione ex gustu, olfactu, visu: & aliquando tactu cognosci potest, prius-
quã

quàm ex eare effectum aliquem videris . At eorum vires, quæ à tota substãtia agūt, nõ nisi ab effectibus cognosci possunt. Vnde cùm omniũ facultatũ cognoscendarũ duo sint instrumẽta, ratio, & experiẽtia: illa vtroque, hæc sola experientia iudicantur. Primò igitur loco differemus de actione à manifestis qualitatibus procedente, postremò non omittẽte, quæ vel iuncta rationi vel sola cõmonstrabit experientia. Nemo est qui nõ fateatur compositum omne à componentibus partibus suam vim naturamq; accipere. Atq; inter cætera aqua cùm *ἄρωμας*, hoc est, qualitatis expers sit, omnẽ alienam qualitatem facillẽ admittit, vt Galenus lib. I I. de alimentorũ fac. docet cap. de Cucurbita. Quorum itaque misturã aqua recipit, corũdem saporem, odorẽ, colorem, ac virtutem facillẽ referet. Verũ prætereundũ non est quòd si contrarijs prædita facultatib⁹ misceantur, vnũ alterius vim ita rerundit, vt neutrius qualitates repræsentet. Sed tertium quoddam resultat nec huius, nec illius vim redolens: vt si ærugini oleum adiunxeris, sarcoticum medicamentum habebis, ex tertio Methodi medendi. Cùm tamen hoc vlcera putrefaciat, illa erodat. Hac moti de causa quæ idem possunt cõiungemus, deinde cõtrarijs facultatib⁹ prædita inuicẽ cõferemus. Siquidẽ humores calfacere & siccare ordinetertio, incidere, extenuare, abstergere, trahere, & in ambiẽtem dissipare possunt: sulphur, bitumen, nitrum, calx, sal, æs, & alumen: vt præcedenti libro dictũ est Verũ sulphur, & bitumẽ emolliunt partes ac quasi effœminant. Ex aduerso alumen, sal, æs, & nitrum, astringẽdo roborat: Sed caliditate & siccitate vno superatur ordine.

Calx illa omnia superat adeò, vt in ipso extinctionis tē pore mordicet & comburat. Ferrum, plumbum, & Gypsum refrigerantium & siccantium ordini secundo inferuntur, altringunt, & reprimunt. Cumque hæc aquæ miscētur, ne hîc, vt plerique scriptores, hallucineris existimans balneum eum cal. frig. hum. & siccitatis gradum accepisse, quē illi admista à natura accepērūt. Nam etiā si aqua velut & cucurbita *κωκυθ*, hoc est, qualitatis experts sit, id tamen non de primis, sed de secundis qualitibus Galenus intelligit, quæ gustu percipiuntur nempe de sapore. Cùm itaque aqua frig. & hu. sit, calf. & siccantium vim non qualem accepit, sed retusam & imminutam referet, refrigerantium verò & humectantium adauctam: quem enim actu habet calorem perdit prius quàm illa vtaris, & magis adhuc post illius vsum, adeò vt quod ad id attinet, à dulcis & tepide aque balneo nil differat. Præterea non animaduertunt quòd veluti non quæuis aluminis, aut salis, aut nitri, aut similis alterius quantitas, quamuis aquæ quantitatem suo sapore inficere potest: ita nec suarum primarum qualitatum æqualem vim impartiri. Sicut enim in stillatijs aquis Manardus & alij viri eruditissimi facultatem eius rei à qua stillauit non talem seruari idcirco asserunt, quòd sapor non seruetur. Sapor enim temperamenti index est: in temperamento est facultas, à facultate prodit actio: ita fiet in hac mistione. Quid igitur dicemus? num quæ talem saporem non refert aqua, talem non accepit facultatem? minimè. Sed id necessariò colligemus, nec omne balneum, quod alumen accepit, calidum & siccū tertio ordine, nec aluminis effectus æqualiter

liter præstare posse, verùm intensiùs remissiùsve, ce-
 riùs aut tardiùs hæc efficere pro varia immistæ fodinæ
 quantitate. Vnde, vt in Aquensibus balneis dictum est,
 quæ vltra Burmidam sunt balnea efficacius operantur,
 quàm quæ in vrbe: quod (vt aiūt) magis mineralia sint:
 sic balnea de Petriolo alijs Senarum. Non itaque cū Sa-
 uonarola quæ Alumen accepere calida, sicca tertio gra-
 du pronūtiabimus, quod alumen tale sit. Quod de alu-
 minosis aquis exempli gratia dixi, de sulphureis, nitro-
 sis, & alijs omnibus dictum puta. Porrò iam dictarum
 sponte nascentium aquarum facultatem bimembri par-
 titione complectamur. Aut enim calfaciūt, siccant, in-
 cidunt, extenuant, abstergunt, trahunt, & dissipant, sed
 molliendo ac relaxando: qualia sunt sulphurea & bitu-
 minosa. Aut idipsum agunt, verùm non etiam mol-
 liunt, sed potiùs adstringunt, densant, & repellunt. Eius
 generis sunt primùm aluminosa, deinde ænea, salsa, ni-
 trosa, postremò quæ calcis misturam acceperūt. Secun-
 dum locum ijs tribuimus, quæ refrigerant & siccant,
 cum astrictione. Eius generis sunt ferrea, plumbea, &
 gipsea. Atque inter hæc quæ eiusdē generis videntur,
 magna est differentia. Nam bituminosa induratas par-
 tes magis emolliunt, sed tardiùs penetrāt & leuiùs dis-
 sipant sulphureis. Quæ plurimum aluminis acceperūt,
 sibiipsis viam præcludunt, ne dictas potentias in actum
 deducere possint. In quibus calx & sal superant mo-
 lestam quandamm mordacitatem non effugerunt. Ni-
 trosa felicitis ijs omnibus, præstant quæ de ipsis polli-
 citi sumus. ferrea, gipseis & plumbeis potentiùs astrin-
 gunt & densant. Extremis ita diffinitis facile est de in-

termedijs seu mistis iudicium facere. Quádoquidem non solum pro mistionis varietate facultatis variari cōtingit, sed etiam pro varia mistorum quantitate. Verum hæc omnia verbis aperire est impossibile: numeri enim ferè infiniti sunt. Quod facile disces, si ita ratiocineris: vndecim sunt à nouis enumerata, quæ si singula seorsim per se sumatur, & deinde cū quolibet aliorum decem vndecies vndecim habebimus. Ex qua coniugatione centum viginti & vnā mistionem habebimus. Exempli gratia, detur primū aqua sulphurea, qualis est balnei A sculi, Siciliae, & aliorum: vt suo loco narrabimus. Deinde eidem accedat nitri portio aliqua, fiet sulphurea nitrosa, sic ordine in alijs fiet sulphurea aluminosa, sulphurea salsa, sulphurea calcis particeps, sulphurea bituminosa, sulphurea gipsea, sulphurea ærea, sulphurea ferrea, sulphurea plumbea, sulphurea aurea. Id ipsum nunc fiat in alumine in sale, breuiter in alijs decem resultabit numerus iam dictus CXXI. Agè prosequere, sulphur cum nitro reliquis misceto, in numero ternario habebis nouem mistionum genera, id ipsum facito quatuor connectens habebis octo: in quinario numero septem, in senario sex, in septenario quinque, in octonario quatuor, in nouenario tria, in denario duo, & vnā ex vndecim simul iuncti. Quæ dictæ coniugationes sulphure superante (sic enim semper intelligimus cū vel sulphuream, aluminosam, ferream, aut similiter appellamus vincenti primam denominationem tribuentes) sunt quadraginta & quinque. Id ipsum superante alumine facias sic nitro, & singulis vndecim dictis vndecies quadraginta

draginta, & quinque quadringētæ, nonaginta & quinque miffiones resultabunt, cum prædictis iunctæ sexingentæ & sexdecim. Nunc qualis quantæque varietas ex diuerfa horum commiffione confurget. Sed num ob id hæc cognitio tanquam incomprehenfibilis eſt omittenda? minimè. Nonne & in morbis idipſum contingere iam edoſti ſumus? cum enim vltra triginta morbi ſimplices libro de differentijs morborum enumerentur: ſi ex viginti quatuor literis diſtionum numerus infinitus reſultat. Quid eueniet ex multò pluribus morbis ſimplicibus inuicem omnimodè complicatis. Præterea nonne ab eodem morbi genere maxima varietate varij homines affliguntur. Has tamen particulares connexiones, & ſecundum magis ac minus morborum differentias ſeorſim peculiari ſermone proſequutus non eſt Galenus, ſed hæc Medici prudentiæ committit; vt pote vniuerſali doctrina hæc complectente. Sic igitur nos ad inſtitutum reuertentes ſumma dicendorum capita attingamus; reliquum Medici prudentiæ relinquentes. Harum fodinarum facultates bimembri partitione complectebamur. Quædam caſſacere, ſiccare, incidere, extenuare, abſtergere, trahere, & diſſipare diximus. Eius generis ſunt ſulphureæ, aluminofæ, nitroſæ, falſæ, bituminofæ, æneæ, & quæ calcem habent. Quædam verò refrigerare, ſiccare, adſtringere, denſare & roborare. Eius generis ſunt ferrum, plumbum & giplum. Iterum priorem illam partem tripartitò ſecuiimus in ea quæ, quod diximus, præſtant; ſed ſimul molliunt ac relaxant.

qualia sunt sulphur & asphaltum. Ac in ea quæ astringendo id præstant: qualia sunt aluminosa, ob nimiam astringentem inutilia. Et in ea quæ medio modo operantur sælicissime citra astringentem vehementem & remolitionem falsa nitrosa, & quæ ex ijs contrarijs mixturem accepere, vt sulphurea aluminosa. Porrò si verum est, vt verum esse plerisque in locis demonstrauit Galenus, præsertim x1 Methodi Contraria contrariorum esse remedia. Quæ primo partitionis membro comprehensa fuere, morbis frigidis humidis erunt aptissima auxilia, quorum causa fuerit eius generis multus humor crassus & viscidus. Siquidem frigiditati caliditas opponitur, humiditati, siccitas, crassitiei, extenuans: visciditati, abstergens, & incidens: multitudini, vacuatio: cuius species est dissipatio, & in ambientem per insensibilem transpirationem facta euaporatio. Porrò eius generis morbi sunt, si à pituita originem traxere, Cephalalgia, Paralysis, Conuulsio, Lethargus, Congelatio, seu Catalepsis, Catharrus, Suffusio, Tinnitus aurium à vapore crasso, obstructio vel olfactus, vel auditus, vel alterius meatus: mollities gingiuarum vel linguæ, defectus gustus, fluxio humiditatum ab ore, Tussis humida, Asma, ventriculus relaxatus, aut pituita infarctus, Iliacæ passio, colic⁹ dolor. Nephritis, vermes, Lienis Tumor vteri affectus, menstrua alba, sterilitas, Ischiadicus dolor, Chiragra, Podagra, Arthritis denique omnis, oedema, nodositates, Plora, scabies, vitiligo, Impetigines, Elephantiasis, & similes morbi, vbi à pituita originem traxere: vt dictum est. Non repugnat tamen & multos à Melancholia genitos iuuari horum vsu, imò & sana-

ri: vt capite vltimo libri primi, & libro fecūdo dictum est. Sic etiam corrodentia vlcera, Cancrenas & alia vulneta maligna horum vsu curari ferunt: sed cenleo ego, ea quæ abstergentium & astringentium quantitatem accepere id prestare posse, at ex aduerso quæ tantum resolutia præsertim cum remollitione, minimè. In his autem qui vtendi rationem & mēsuram desiderat, secundum librum perlegat. Cū enim illa Aquensia balnea sulphure, nitro alumine & sale participēt. Atque cū quatuor hæc cum asphalto, ære, & calce cōuenire iam dixerimus, haud dubiè eisdem morbis, quibus illa conuenient, & eadem erit vtēdi ratio. Quæ omnia in hūc essent referenda locum, sed breuitatis studio bis eadem non repetemus. Sed qui balneorum huiusce partitionis, vim & vsū omnem sibi comparare desiderat, secundum librum euoluat. Nos hoc in loco ea annotabimus, in quibus hæc facultate inter se differunt: Si quidem maximo interuallo distant inter se, quæ primo partitionis membro comprehensa fuere. Aluminosa etenim, si alumen reliqua longè superet, astringunt adeò, vt sibi ipsi viam præcludāt stipata cuti: vt octauo Methodi de eo qui se in Albulis lauerat: ita etiam plurimum ænea. At falsa, nitrosa, & quæ calcem habent, tam leuiter astringunt, vt alijs operationibus impedimento non sint. Sic quæ alumen admittunt habent vel parua quantitate, vel relaxantibus, aut fortiter abstergentibus vt Aquensia, talia tardius quidem at felicius præstant quod de ipsis pelliciti sumus: si quidem leuis illa astrictio partium robur seruat & continet, nec ob id humorum dissipatio & in am-

bientem resolutio impeditur: Quod pulchrè Galenus in viscerum inflammatione soluenda docet, x i. Methodi, vbi resoluentibus astringentia miscet. Econtra bituminosa & sulphurea visceribus sunt cōtraria ex eodem loco, presertim ventriculo & iocinori, ob id tallium potio noxia est. Sic eorum vsus arthritidi parum accommodatus est, & multis alijs morbis. Articulos enim & illas partes fluxionibus obnoxias ita relaxāt, vt postea eisdem recipiendis humoribus proniores reddantur. Iecoris autē & ventriculi actio vitæ necessaria labefactatur immoderato illorū vsu. At vbi nodositates adsunt, tophacei gipsei, & similes humores crassif & iam indurati, in vna aliqua parte contenti, ad horum vsu, non aliorum est properandum. Extremorum facultate cognita, mista vel ex extremis, vel ex alijs cognoscere non est difficile. Sunt autem ex iam dictis balneis, facultatis nunc narratæ. In Italia sulphurea Balneum de Macereto in ditione Senarum, Balneū Asculi, Balneum Siciliae, Balneum Vinadi. In Germania balneum quoddam in Ducatu Vaitembergenfi apud Geppinguam oppidum. Et Balneum in An, apud Rotemburgum. Bituminosus est Scirbonis lacus, Sulphureum bituminosum balneum Perusij. Hæc autem sulphurea aut bituminosa bibi non debent, sed in nodosis partibus curandis plurimum possunt, & duritie aliqua dissoluenda. Quòd si cum sulphure alumen miscetur, neque vehementer emolliet, neque astringet: sed mediam qualitatem nanciscetur iam dictis omnibus morbis aptissimam. Eius generis sunt, in Roman-diola balneum de Turri dictum. In ditione Senarum

rum balneum de Petriolo. Balneum Pifarum. In Germania, balneum quoddam apud Badenas Heluetiorū. In Bohemia apud Elembogium. vel contra, si aluminosa & sulphurea fuerint: vt in Romandiola balneum medium, item balneum Volaterrarum. Balneum Pifarum. Balneum de Pilatijs apud Viterbiū. Quibus si nitrum accesserit, felicius operantur. Tale est balneum apud Lucarum urbem. Et in ditone Senarum balneum sancti Philippi. Sic in Germania Vuisbadenses. Et aliud apud Abudiacum Baioariæ supra Reginoburgum. Idem præstabunt sulphurea falsa aliquid aluminis habentia: qualia sunt quæ in Germania in inferiori Badenia habentur. Et quæ in ducatu Vuittenbergenfi. Sic sulphurea aluminis & æris aliquid habentia, vt sunt Cellenses Thermæ in Germania. Porrò aluminosa (vt iam diximus) parum accommodata sunt iam dictis morbis, verum si vnà potenter incidentium tenuantium & abstergentium aliquid acceperint, non erunt omnino inutilia, præsertim si sulphuris aut asphalti mistio accesserit. Eius generis sunt balneum montis Orthoni, & Carpenfe, quæ alumen, sal & sulphur habent. His potentiùs operantur & aptiora iudicantur, balneum Aponi, balneum S. Helenæ, Thermæ Porrethenses, & Aquarij. Quæ omnia alumine, sale nitro & sulphure constant. Ita quòd in Germania habetur iuxta lacum Podmicum aluminis, & nitri particeps. Sic balneum sancti Petri aluminis & salis particeps. Sic balneum Domus Nouæ alumine, sale, & calce constans, vt balneum

S. Barptolomæi. Ab his non plurimum recedunt nitrosa: quale est Aqua Borla dictum in ditione Senarum. Inferiora his sunt salsa, alumen & sulphur habentia: eius generis sunt Volaterarum Lacones appellati. His adiungitur aqua salsa, tale est balneum montis Catini. Himera Siciliae fons. Lacus in Aphrica ad Iouis Ammonis templum. In Armenia Matianus Lacus. Fontes in Capadocia ad Lacum cui Tatta nomen est. In Gallia Narbonensi fons Salsula nomine Putei in via salsula dicta in Cispadano tractu inter Parmensem & Placentinum agrum. Adde ænea sulphurea, ut balneum Asinelæ apud Viterbium. Et ænea solum, ut Lucense Rubeum dictum: ijs facultate inferiora plurimum sunt quæcunque contrarijs viribus præditorum aliquid acceperere. Nempe, eorum quæ secundo sectionis membro reposuimus, ferri, plumbi, vel gipsi: talis est in ditione Viterbij balneum Vallis kaim, aluminis, æris, & ferri mistione constans. Sic alumine, sale, gipso & sulphure constans Balneum montis Grotti. Ita balneum de Buffetis. Balneum S. Mariæ ambo in ditione Viterbij. Et aliud in Sicilia quæ sulphurea & ferrea sunt. Validius aliquantò operabitur balneum Romandiolæ, ac balneum cruciatorum in ditione Viterbij: quæ sulphur, ferrum & æs accepere. Idem est iudiciū de aluminosis, Nitrosis & ferreis, quale est quoddam in Germaniæ Alsatia prope Geberfuneiler. Deniquæ balneum Pagoneli apud Viterbum, nitrosum, salsum, aluminosum & ferreum. Iam dictis omnibus affectibus propullandis non solum debile, sed & inutile ac contrarium erit, quod aluminis ac ferri mistione constat.

constat. Quale est balneum Bulicani in ditione Viterbij, & balneum Urbis veteris. Quorum duorum effectus potius sequentibus sunt adiungendi, quam inter præcedentia enumerâdi. Hanc enim facultatem acceperunt, à qua effectus eorum, quæ secundo & vltimo primæ sectionis membro cõtenta sunt, expectare oportebat: siccabunt enim & astringent potenter, nec calfacient: Siquidem aquæ & ferri frigiditas aluminis caliditatem retundet. His ita vtcumque enumeratis ad ferrea, gipsea, & plumbea accedamus. Hæc cum refrigerare, siccare, astringere, densare & roborare iam dixerimus, qui cõmunis illius proloquij meminerit, omnibus iam dictis morbis vbi à causa frigida pendent, non solum vtilia, sed noxia iudicabit. Ex aduerso vbi caliditate pars aliqua relaxatur, debilitatur, & quasi vim suam & robur amittit, huic ex vsu est: non tamen si humorem aliquem in fouentem causam retinuerit. Tunc enim illum resolueret & vacuare oportet, at ab hoc balnearum genere nulla vacuatio, sed potius arctatio & materiæ retentio est expectanda. Siquidem astringendo, densando & roborando non vacuas, sed ne vacuetur impedis. Quapropter concludimus tria illa balnearum genera vel simplicia, vel inter se mista, vel alijis quæ ab ijs non multum viribus distent, soli intemperie calidæ humidæ cum relaxatione conuenire. Aliquando calidæ & siccæ, cuius causam postea accipies. Sunt in horum balnearum genere ex iam dictis Lucæses thermæ de Torseno dictæ: vinadi & Volaterrarû, quæ solum ferrum habere scribuntur. Sic in ditione Pifarum duo: & sub ditione Senarum Caldenarum

dictæ, quæ ferro & alumine constant. Sic ferreum aluminosum æris aliquid habens Balneum de Auinione. Hæc igitur balnea & ijs similia vt ferrea gipsea, ferrea plumbea, ferrea gipsea plumbea: vel gipsea ferrea, gipsea plumbea, gipsea plumbea ferrea: vel plumbea ferrea, plumbea gipsea, plumbea ferrea gipsea: & reliqua, quibus etiam si aliquid aluminis aut æris accesserit, non multum illorum vis immutatur. Hæc inquam balnea, vt ad particularia descendamus, omnem intemperiem membrorum calidam tollunt. Ita qui Cephalalgia à calida meningum, vel aliarum capitis partium intemperie vexantur, horum irrigatione iuuabuntur, sic Catharro calido, vel neruorum quacumque dispositione calida affecti. Aestuantis ventriculi deperditam appetentiam horum potio suscitabit. Feruorem cibos in nidorem corrumpentem extinguet. Relaxationem tollit. Iocinoris tractricem vim, ob similem causam languentem restituet ac roborabit. Vnde ab horum usu multos macilentos pingues redditos, certo cõpertum habemus. Hypofarchæ & Timpanitidi conferre putantur, superfluas humiditates exsiccando. Hæc fluxum stomatichum, fluxum hepaticum, fluxum hæmorrhoidarum, Menstrua cum rubra, tum alba sedat. Vteri superfluas humiditates absumunt. Quod si in Pulmonum humiditate exsiccanda, in tussi aut asmate eisdem uteremur, ad interitum egrum deduceremus: relaxatione enim non astrictione partes illæ egent: vt expurgentur. Vri næ ardorem mitigat, sic renum estum, podagram, chigram: & omnem arthritidem calidam post humoris resolutionem, (quod in omnibus morbis intelligendum

dum est, siquidem humores non solum non vacuare, sed coercere ac retinere iam diximus) vbi sola iuncturarum debilitas firmanda relinquitur, iuuat: ne iterato fluxionem admittant, scabiem à calido & adusto sanguine prorumpentem coercet, (quæ frequens est) eius causam mitigando. Ictericam curant, quæ à venarum immoderata caliditate fit, sanguinem in bilem per vniuersas corporis partes conuertente. Et pleraque similia præstant. Extremis ita definitis, intermediarum seu ex extremis compositorum vim discernere non est difficile. Quales sunt ex iam enumeratis, Thermæ quædam Senarum ferreæ & sulphuræ. Thermæ Viterbij de Grotta diætæ ferreæ æris & Nitri non expertes. Sic quæ in Lothoringia plumbi, sulphuris & aluminis mistura constant. Horum proculdubio in morbis frigidis non admodum rebellibus sælicissimus est vsus, præsertim si sint affectus interni potione egentes. Quandoquidẽ sulphur & Asphaltus per se nimis molliunt & relaxant: vnde ventriculi & hepatis robur dissolunt, vt antea dicebamus. Quæ verò vel ferri plurimum, vel aluminis, vel æris, vel gipsi, nimis astringendo ita sibiipsis viam præcludunt, vt humorum euaporationem nullam facere queant. Ex vtrisque ijs mista contrarijs, resolvent, ac partis vim & robur non dissoluent, sed potius augebunt ac firmabunt. Quod autem ad qualitates primas attinet, illa calfacient, hæc refrigerabunt, ex vtrisque mista, ad temperamentum medium magis accedent. Quæ igitur primo partitionis membro narrata fuere, calidis & ficcis, biliosis, gracili

bus debilibus vel toto corpore, vel iuncturis, quibus nulla humiditas adest egēs vacuatione nocent, & multis alijs. Atque inter illa minūs conueniunt, quæ sulphur aut Asphaltum accepere. Sed quid hæc repeto, libro secūdo fusissimè ostensa fuere? Ex quo nullo negotio discēs quibus sint vsui, quo tēpore, qua quantitate, qua corporis præparatione, quid ante balneum, quid in ipso balneo, quid post sit agendum: & plurima alia. At de eorum vsu, quæ ferrum, gipsū & plumbū accepere, hoc loco dicendū, ad quæ & aluminosa, ac ænea referre nō est absurdū. Hæc ex iam dictis manifestum est, vbi humorum copia adest, non solū non valere, sed & noxia esse: ideo non qua ratione præparādi, aut vacuandi recensere oportet, neque multa alia, quæ horum ratione narrantur. Non solū enim quod non vacuēt, sunt inutilia, ubi adest cacochimia, sed quia vacuandos prohibeant, noxia: vnde si acres & biliosi humores in corpore redundant, horum lotionē retenta solita exhalatio febrem accendet, accensam augebit, & curationi contumacem reddet. Et hæc causa, cur febribus non scripserimus remedio esse, contra multorum sententiam. Huius exemplum habes VIII. Meth. de eo qui se in Albulis lauit, quæ plurimo constant alumine. Ob id tales, nempe picrocholos, non lauandos cēseo: quod si in scabie, aut vniuersi corporis ictero iam dicto, aut totius intemperie, aut alijs quibus vtilia hæc dicebamus, ijs vti velis, id maxima agendum cautione, vt febris periculum effugias. Vacuanda Plethora & Cacochimia si adfit. Deinde ab horum vsu molli & mediocri frictione ad naturalem habitum cutis restituenda.

da, per eam sublatiſ obſtructionibus: moderandus ita vſus, ne in rigorem, aut alia mala ſimptomata æger incidat. Tempus accommodatius fore poſt abſolutam coctionem ex dictis lib. ſec. colligi poſſe non dubito. Sic moræ diuturnitatem virium robore metiedam, etiã ſi ab horum vſu non vt illorum proſternantur. Iam igitur quid ante hoc balnei genus, quid poſt, ſit agendum. At ſi in pedum vel manuum artibus firmandis hiſce vtaris, inanis eſt talis conſideratio: quandoquidem quouis tempore, quauis hora illorum perſuſione moderatè vti licet. Eſt autem ad id agendum accommodatiſſimum tēpus, vbi vel Podagram, vel Chiragrã cauſans humor reſolutus fuerit, & penitus vacuatus vel aliorū balneorū vſu, vel naturæ beneficio. Tūc enim relaxatos & debilitatos artus vnit & roborat, ne iteratò fluxionem facilè recipiant. Atque tunc non ſolum calidè ſed & frigidè artritidi vſui eſſe poſſunt. Porro ſi huius aquę potionem haurire oporteat, aduerſus ventriculi, iecoris, renum, vteri, veſicæ & alui iam dictos affectus, nemini non manifeſtum arbitror, illud ipſi tempus eſſe præſcribendum, in quo neque ventriculus, neque inteſtina, neque venæ Meſaraicæ, crudi humoris, vel cibi quidpiam habent: alioqui in venarum oſculis vehementes cauſabis obſtructiones. Quantitatem tibi præſcribet affectus & ſumentis natura, ſiquidem ſola morborum & remediorum quantitas verbis deſcribi non poteſt. Communis tamen & pluribus accommodata erit libræ vnus à minori quantitate ad maiorem accedendo. Haſtenus effectus & actiones, quę à manifeſtis qualitatibus pendent, verbis proſequuti ſu-

mus: nunc eos qui ab occulta proprietate, vt aiunt, efficiuntur prosequamur. Ad hæc enim duo sola omnes referendos effectus initio proposuimus. Cùm autem hæc sola cognoscatur experientia viro prudenti, & multis eget limitationibus, vt vniuersalem constituat propositionem. Vnde dubium & fallacissimum est ex inani & parum fida populi opinione quidpiam asserere. Nam quòd magnes ferrum, succinum paleam, Rhabarbarum bilem, Agaricum pituitam, trahant: Quòd basiliscus solo visu homines necet: & similia infinita, quæ à tota substantia, seu forma rei constitutiva ex tali mistione resultante, operari dicuntur: etiam Plebæis notissimum est. At balneum de Palatijs apud Viterbium ab occulta quadam proprietate hepar iuuare, thermas Neapolitanorum nullum non morborum genus & calidorum & frigidorum profligare, Porretes gravidis appetentiam excitare, eas iuuare, cùm tamen menstrua & vrinas prouocent, qui effectus contrarij sunt, sic omne arthritidum genus tollere, & multa alia credere, quæ non solum de his, verùm etiam de multis alijs balneis feruntur, dubium est, & errore non vacat. Siquidem unicuique spiritui credendum non est, sed probandi primum & examinandi num veritatis viâ an fallaciæ sequatur. Est autem fallacissima via popularis rumor. Quot enim quotidie, sua quædã experimeta vendicantes apud rudem plebeculam, eruditorum nomen sibi parat: Non itaq; quod ab isto, vel ab illo auditu, vel scriptis accepimus, etiã si rationi repugnet, tanquam verum pronuntiare audemus, & ad occultam causam cum illis recurrere. Sed iam nos tempus aliò vocat,

cat, & de balneis dicēdi finē accelerat. At duo prius
restant discutienda, caliditatis actualis causa & effe-
ctus. Ac tempus quo balneorum maior est vsus.
Existimo rectē quidem Aristot. sensisse sulphur ca-
liditatis aquarum sponte nascentium causam esse.
At posse aliquid id quod ipsum actu non habet
alijs impartiri non puto, ni prius in actum deduca-
tur. In caloris actum deducitur sulphur in ter-
ræ latebris, non eo pacto quo dum in corpus no-
strum agit: sed cū ab astrorum calore, & reten-
tis per reuerberationem vaporibus accenditur, vt in
Vesuuio, Aethna, & similibus fieri compertum
est. Sic etiam quid vetat in pluribus alijs locis in-
cendi, & ob paruam ipsius quantitatem, aut ob
maximam terræ superpositam molem flammam
non exerere, sed pedetentim finitimam ter-
ram incalescere, & illi contiguam aquam? Ar-
gumento tibi sit, quòd fontes illi non toto anno
eiusdem caliditatis inueniantur. Quòd illum per-
dant calorem, vbi è terræ visceribus disilierunt.
Adde, si ignem ipsum videmus & cognoscimus,
actu caliditatem intensiorem quàm ipse habeat
aquæ impartiri non posse, quo pacto sulphu-
ris vaporis eum feruorem in aquam inducere
possunt, quem ipsi non habent. Præterea nun-
quàm ferè videmus in planitie succosa & fœ-
cunda simile fontium genus scaturire, sed è mon-
tibus sterilibus: eò quòd paulatim ignis ille su-
perficiem vsque si non calfacere, saltem exficcare,

& sterilem reddere potis sit. Neque suffocatur ignis ille, quia per terræ poros & venas diffilatur. Nec mirum si consumpta materia desint balnea: id enim in multis Italiæ locis accidisse ferunt. Hæc autem caliditas aquæ vim non magis immutat, quàm si igni ad teporem reducta vteremur. Quòd si dulcis tepidæ aquæ balneum refrigerat, & humectat: non prohibet actualis illa propositorū balneorum caliditas, quin id ipsum hæc præstent. Nam in vtroque ille evanescit calor, vtrisque non nisi tepidis vti possumus, & debemus. Concludimus igitur ad immutandam aquæ naturam refrigerantem & humectantem nil momenti habere feruorem illum scaturientis aquæ. Vnde duo notatu dignissima collige. Primum ex opposita ipsius actione calidorum vim ita reprimi, vt erroneum sit asserere eo ordine ipsam calidam, quo gradu sunt calida ipsa immista simplicia seorsim: verum de hac repaulò antè verba feci. Alterum memoratu equidem & consideratione dignissimum est: vbi exiguam calidæ & siccæ fodinæ portionem secum adferunt, tam leniter illa calfacere & siccare, & etiam humoribus calidis vacuandis vsui esse possint. Primum Melancholiæ, deinde sanguini, postea bili, quod ad temperamentum rationem attinet. Si verò humoris naturam consideres, faciliùs bilis vacuatur, post hanc pituita, postquam Melancholicus succus, & bilis atra ægerrimè. Postremò sanguis, quòd vt naturæ amicus & familiaris retineatur. Si enim dulcis

cis aquæ balneum hos humores vacuare potest, vt libro secundo ostensum est, & præter id refrigerare & humectare, quare hæc balnea quæ resoluentium aliquid accepere, id ipsum potentiùs non præstabunt, nullam intemperiem inducendo, aut saltem leniter calfaciendo, minùs adhuc siccãdo? siquidem aquæ maior humectandi quàm refrigerandi vis inest. Sic ubi refrigerantia & siccantia sunt immista, refrigerabunt potentissimè, siccabunt leuiùs multò quàm ferat mistorum gradus. Porrò tempus vsus, non Martio, Aprili, Maio, Septembri & Octobri mèsibus, à nobis determinabitur: sed vsum hunc ad duos scopos reducemus, ad balnei naturam, & vtentis. Balneorum naturam in situm, & occultam proprietatem partimur. Alia enim pluuio tempore inundationes recipiunt, à quibus immutatur illorum facultas: talia sunt Thermæ sancti Bartholomæi in comitatu Patauino, & thermæ Pifarum. In ijs igitur & similibus siue ver, siue autumnus sit, cauèdum ne præcefferit imbrium multitudo. Alia sunt iuxta altissimos montes sita, aut in vallibus inter montes, in quibus frigidissimus spirat Boreas, aut niuea montium cacumina aërem refrigerant, aut ipse thermarum situs, aut tota regio Septemtrionali aperitur oræ, à meridionali, montium altitudine & vicinia contegitur, aut ipsa regio septemtrionalis est. In similibus, & in omnibus alijs sic ratiocineris, ver & autumnus eliguntur, quòd hæc duæ anni partes alijs temperatiores sint:

quæ igitur eo in loco sit aëris temperies examinandum, non quis dierum numerus, tuncque eò accedendum, cum ver e: it, hoc est, cum aër temperatus erit eo in loco: etiamsi talis comperiat in diebus canicularibus. Exemplo tibi sint Porretensia balnea, quæ ob alpium Pistoriensium viciniam vsui non sunt, nisi Iunio & Augusto. Alijs enim temporibus ibi homines algent. Considerandus itaque situs, consideranda pars anni, non ratione sui, sed temperiei aëris: non itaque ver aut autumnus certo dierum numero ad Medicam cōsiderationem circumferbitur, veluti nec ætates: demus enim adolescentem frigidi & sicci temperamenti, ab isto eodem sumentur indicationes, quæ à senē fumerentur, si curandus aliquo morbo proponeretur. Sic Maio mense si estuaret aër, num ver esse diceremus? minime. Sed eam rationem & indicationem huius haberemus quam æstivi, sic in alijs. Consideranda & occulta proprietas: quædam enim quibusdam anni temporibus colorem, odorē, & vim mutant: vt Aquensium ciuitatis fons hyeme aliquando subuiridis apparet, olet sulphur, alijs temporibus minime. Sic balneum quintum Pifarum de Aquis appellatum, tam insignem mutationem recipit, vt quibusdam annis non solum inutile, sed admodum nocuum sit. Tempus hoc rectissime dijudicāt proximi pagi incolæ, tunc enim nocuum fore iudicant, cum Aprili & Maio mensibus aqua turbatur mirum in modum, & citrino colore imbuitur. Hoc idem fieri potest,



vt

vt in aliquibus anni partibus accidat: vt in ditione Viterbij balneum Bulicani, eodem die nunc colorem auri, nunc auricalchi, nunc stanni suscipit. Hoc itaque tempus hac ratione vel noxium, vel opportunum non à scriptoribus, sed ab incolis disces. Quod à scriptoribus accepi, est vere & autumno omnia ea balnea vsui esse, quorum historiam prius narraui: præter quàm eorum quæ nunc recensui. Altera definiendi temporis ratio, ab vtente desumitur. Vbi enim irrigatione vel potione vtimur, vel solam balneamus partem, vt in podagra, vel chiragra, cum iuncturis robur addimus astringentium balneorum vsu, locum non habet hæc temporis circumscriptio. Sed in solo lauacri vsu temperatum aërem desideramus, cum circa vniuersum corpus eo vtendum est. Non inficior tamen & illis accommodatius esse hoc tempus. Verùm hæc ego ita commonstro, vt indicata ratio, vnicuique particularem exercitationem significet. Cùm enim lauacro vsuri temperatam aquam & temperatum aërem exigant, vt secundo libro ostensum est, priorem illam considerationem hæc ad se trahit. Vtente etenim ratione balnei situm cum aëris constitutione ita comparamus, vt ex vtrisque collatis qualem requirimus aëris temperiem nanciscamur, & eligamus. Quam si non habemus, aquam in calidum cubiculum deferri curamus. Laudabilius tamen est balneum aëri expositum, cuius vapores exhalant, & solis radijs purificantur, in quo balneantes liberiores habent anhelitum, neque à retentis vaporibus illorum caput

leditur: vt abunde libro secundo dictum est. Talis autem, nempe temperato proximns aër est, non quidem semper, sed vt plurimùm in omnibus iam L. Z. nominatis Balneis, excepto balneo Porretesi, Aprili, Maio, Septembri vsque ad xv. Octobris: & hoc tempore ad dicta balnea ægrotantes accedunt. Hæc de balneis dixisse sit satis. Ex quibus si quidpiam vtilitatis beneuolus lector accipiet, non mihi, sed omnium Creatori gratias habeat: nos enim illius ineptissima instrumenta sumus, tantum bonorum operum confidentes, quantum diuinæ illius clementiæ nobis impartiri visum est: prout enim vult, sic vnicuique distribuit. At si quid mali vel indocti promo vel deprompsi, ab hac caduca humanitate est. Extollamus igitur mentis oculos, & cum

Paulo ad Rom. cap. xi. exclamemus. *ὦ βάσις πλάτος καὶ σοφία καὶ γνώσις θεῶν, ὡς ἀνεξορδύνητα τὰ κρημνάτα αὐτῶ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτῶ, τίς γὰρ ἐγγώνων Κυρίου, ἢ τίς συμβούλου αὐτῶ ἐγένετο; ἢ τίς προσέσωκεν αὐτῶ, ἢ αὐτὰ ποδοθήσειται αὐτῶ, ὅτι δεξιῶν αὐτῶ, ὁ δὲ αὐτῶ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα αὐτῶ ἢ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.*

Ἰδὲ τὸ τέλος.



ANTONII BERGAE IN

HVIUSCE ET OPERIS, ET AVTO-

ris doctissimi viri D. BARPTOLEMAEI

VIOTTI A CLIVOLO

commendationem

DECASTICHON.

Aestimat ut magnum quis ab unguibus esse leonem:

Hic etiam magnum te probat esse liber.

Balnea pertractat sermone notata venusto:

Languida quae morbis membra levare solent.

Explicat ingenium varijs quod fontibus insit,

Adferat & limus quamq̄ salutis opem.

Miras hinc lacuum vires pernoscere possis,

Quas referat serie pagina culta breui.

Debebunt multum tibi Barptolemaei Viotte,

Hæc quicumque tuo condita Marte legent.

IN D. BARPTOLEMAEI VIOTTI A

CLIVOLO Medicinæ necnon linguarum

peritia cumulatissimi

laudem

HENDECASYLLABI.

Qui vult Balnea scire, vastus orbis

Quæ miratur, is hunc legat libellum

Tractantem varias aquas, quibus vis

Est quàm maxima. Sis memor laboris

Perdocti Medici, benigne lector,

Qui pandit tibi cuncta diligenter.

Y

AD CANDIDVM
LECTOREM.



Dmonitum te velim esse lector, sicubi
offendas, & præcipuè in prima facie pri
mi quaternionis, & fortè aliquot alijs in
locis scriptum nomen Autoris huiusce
opusculi, hūc in modū, BARPTOLEMAEI A CLIVOLO
adijcere nō erit tibi graue, BARPTOLOMAEI VIOTTI
A CLIVOLO: quod cognomé non incuria infcitiāue
Typographi vel Authoris, sed eius secordia cui
libellus perscribendus fuerat commissus, omif
sum est. Vale.

E R R A T A.

Pagina 3. linea 13. Baneus, lege Baucus. pag. 5. lin. 3. rancidum, lege calidum.
 pag. 10. lin. 22. videbantur, lege videbatur. pag. 11. lin. 2. pernicios, leg. penidios.
 pag. 11. lin. 16. per eos, lege per os. pag. 25. lin. 7. & à Meth. lege & 8. Meth.
 pag. 25. lin. 9. stipulationem. le. stipationem. pag. 33. li. 3. qui ni vtroque, le. cui in
 vtroque. pag. 51. lin. 25. mentem indicamus, lege iudicamus. pag. 52. li. 6. indica-
 bit, lege iudicabit. pag. 55. li. 28. mollitur, le. moluntur. pag. 58. li. 29. aut immi-
 nens pro iudicantium le. imminuens pro indicantium. pag. 59. li. 3. nota, lege na-
 ta. Pag. eadem, li. 13. iudicandum, lege indicandum. pag. ead. li. 22. iudicari, lege,
 indicari. pag. 63. li. 6. iudicantur leg. indicantur. pag. 74. li. 5. indicamus, leg. iudi-
 camus. pag. 78. li. 23. iudicium, leg. iudicium. pag. 79. li. 22. atq; le. aquæ. pag.
 eadem lin. vlt. sumat, le. sumatur. pag. 82. li. 11. in ri mortuo le. in mari mortuo
 pag. 85. li. 3. quàm nimium le. quàm minimum. pag. 97. lin. 22. modis, le. nodis
 pag. 105. li. 13. pluadrina sunt, leg. plurima adsunt. pag. 106. lin. 28 & aquas vul-
 gus, le. & quas vulgus. Pag. 120. li. 6. sub diue, le. Dinæ. pag. 129. li. 9. nauarien-
 tis, le. nouariensis. pag. 134. li. 10. indicamus, le. iudicamus. pag. ead. li. 13. indi-
 canda, le. iudicanda. Pag. 135. lin. 26. qua, le. quæ. pag. 137. lin. 16. indicamus,
 leg. iudicamus. Pag. 139. li. 22. gustus iudicium, le. gustus iudicum. pag. 142. li.
 23. in aqua aliqua, lege in aqua eliqua.